HADRIANI BARLANDI HOLLANDIAE COMITUM HISTORIA ET...

Hadrianus Barlandus, Gerardus Geldenhauer

Hadriani Barlandi

HOLLANDIAE COMITVM HISTORIA ET ICONES:

Cum selectis scholiis ad Lectoris lucem.

Eiusdem Barlandi

CAROLI BVRGVNDIÆ DVCIS VITA.

ITEM

VLTRAIECTENSIVM EPISCOPORVM CATALOGVS ET RES GESTÆ:

Eiusdem argumenti Libellus

GERARDO NOVIOMAGO auctore.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex officina Christophori Plantini.

CIↃ. IↃ. LXXXIV.

D. HADRIANI CORDATI CANONICI MIDDELBVRGENSIS IN OPERIS AVCTORISQVE COMMENDATIONEM

Romanos proceres ſcriptor Tranquillus adumbrans,
Magna immortales reddidit arte viros.
Non ſecus Hollandos Comites Barlandus ab vmbris
Euocat ad lucem candidiore via.
Tranquillo Italia, & Barlando Hollandia debet,
Hic Batauos, Latios colligit ille duces.

AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMISQVE HOLLANDIÆ PROVINCIÆ ORDINIBVS

Christophorus Plantinus S. D.

AMPLISSIMI Ordines. Postquàm honesta vocatione Dominorum Curatorum in hanc Lugdunensem vrbem veni, Academiæ vestræ sedem: nihil mihi prius vel antiquius fuit, quàm vt reipsa testarer, quantum mihi & boni publici studium esset & vestri simul honoris. Itaque Typographiæ meæ præla aliquot & instrumenta per hunc tumultum diu otiosa magnis impensis transuexi, magnis item in hoc ipso loco instruxi: & manum statim admouere operi cœpi, quod iam per annos triginta inter multos rerum temporumque fluctus (Deo mihi auxiliante) exerceo. quàm benè aut feliciter, aliorum iudicium esto: illud ego scio, quòd cum communi aliquo potius, quàm cum meo magno fructu. Ecce autem dum in ea cogitatione & apparatu sum, commodùm ac peropportunè oblati mihi inter ipsa initia hi libelli De rebus Batauis: quos velut auspicium libenter statim accepi, & prælis nostris commisi. Eorum prior Comitum vestrorum originem, progressum, res gestas continet, breuiter nec indisertè. posterior Vltraiectinorum

Antiſtitum : qui ſedem ſuam ditionemq́ue, partem olim Batauiæ veſtræ fuiſſe non negarint. Comitum icones & imagines ære expreſſimus, vt videtis : non ingrato vobis nec iniucundo,vt ſperamus,adſpectu hominum ipſorum, non ſolùm rerum. Ad hos autem Barlandi libellos olim impreſſos (ſed ægrè & vix iam repertos) iterum imprimendos auctor mihi & impulſor fuit vir nobiliſſimus Ianus Douſa à Noortwyck : qui cum Vniuerſam Hiſtoriam Batauæ gentis ſeriò ſcribendam ab ipſis incunabulis ſuſcepiſſet; pro bono & pro luce lectoris cenſuit,hoc velut compendium & introductionem præmitti. Ad cuius magni operis emolitionem cùm multa adiumenta ab ingenio & doctrina ſua idem Douſa habeat : tum non leuiter adiutum ſe & inſtructum fatetur ab Ampliſſimo viro D.Lamberto Burchio,qui copiam ei librorum Annaliumq́ue veterum benignè ſuppeditauit. Vos intereà, Ampliſſimi & Magnifici Ordines,dum iuſtum illud legitimumq́ue Hiſtoriarum opus à Typis item meis exſpectatis: nunc Comites veſtros, obſides ſanè illuſtres addicti vobis deuotiq́ue animi mei accipite: & hanc Typographiæ noſtræ partem hîc adhuc nouam atque recentem, auctoritate veſtra promouete atq. defendite. Deus Reip. veſtræ vos ſeruet. Lugduni Batauorum, Idibus Sept. cIↄ. Iↄ. LXXXIII.

Veſter addictiſſimus cliens.

Chriſtophorus Plantinus.

DOCTISSIMO VIRO D. IOANNI BORSALO, DECANO SANDENBVRGENSI APVD VERIENSES, HAD. BARLANDVS S. D.

CVPIENTI *mihi, humanißime Borsale, vitæ meæ seriem chartis, ceu fidis sodalibus, committere; in mentem venit præter te neminem alium esse magis idoneum, apud quem id facerem. Summa enim mihi consuetudo & familiaritas tecum est peruetus. Itaque vt ab ea incipiam ætate, qua nostrates pueri discendis literis admoueri solent, annos natus vndecim à patre Gandauum ablegatus quadriennium ibi perpetuum doctißimo præceptori operam dedi Petro Scoto, viro longè facundißimo, & qui in Oratorum, ac Poëtarum veterum enarratione suis temporibus fuerit cessurus nemini. Is, vbi me animaduertisset incredibili literarum studio præter cæteros flagrare, cœpit ea diligentia instituere ac docere, vt nullum interim boni præceptoris officium prætermiserit. In cuius ædibus ac schola maximo cum fructu exactis quatuor annis iussu parentis Louanium veni. me miserum, in hoc Gymnasio, alioqui percelebri, mutata studiorum ratione dici non potest quantam breui inter elingues studiorum socios iacturam ac vtilißimarum præceptionum, quas ab optimo dicendi magistro perceperam, interitum fecerim. Itaque periit hîc planè alterum nobis quadriennium, quod exclusis quæ id ætatis mihi discebantur multò poterat melioribus impendi. Quid multa? iam eram ætatis vicesimum ingressus*

annum, cum acceptis liberalium Artium studij insignibus, ad ea vix tandem reuertor, quæ coactus non modo intermiseram diu, sed etiam abruperam abieceramque. Qua me credis animi lætitia velut exundasse primis illis diebus repetiti studij, quo ab ipsis penè crepundiis vnicè sum delectatus? verùm vt maximum, ita & breuißimum fuit gaudium, quod ea studiorum mutatio mihi pepererat. In his enim principiis cum euoluere ac maiore cura legere cœpissem veteres auctores, qui puero mihi fuerant gustati, ibi sum expertus, quàm multa superiore illo quadriennio, quod puerilibus commentationibus impenderam, excidissent. Quæ omnia quantis postea laboribus, vigiliis, sudoribus, ac valetudinis iactura recuperauerim, non est eloquibile. Porrò his ita reuocatis, de prudentum consilio & amicorum sententia me contuli ad docendum. in quo munere totum nouennium, aut plus eo ita me geßi, ita semper studui satisfacere, vt & libenter me auditores mei audierint, & ex quotidianis meis enarrationibus multum se quidam profecisse fateantur: quamquam ego hic nihil mihi sumo, aut arrogo. Dum hæc aguntur, dumque inter puluerarios sedeo scholasticos, re ipsa repperi nihil esse difficilius quàm alios bene instituere. quod certò scio numquam facturos eos, qui dumtaxat gustatis aliquot neotericorum scriptis, veteres illos omnis doctrinæ parentes, numquam attigerint. Quorum non paucos censeo propemodum ediscendos ei, qui volet eximium præstare interpretem. Nemo hîc mihi Græculos, nemo satis Romanè loquentem prædicet. ingenium sublime, ac omnifariam eruditum hominem volumus eum esse, qui Poëtas aut Oratores antiquos susceperit enarrandos. vt ad me reuertar, in maximis docendi laboribus etiam stylo exercendo plurimum temporis impartiti sumus.

Verti

Verti septimo abhinc anno complures Æsopi Apologos. *Scripsi* adnotamenta in prouerbiales Vergilij sententias. *Ea Parisiis abhinc triennium ita corrupit ac deprauauit quidam omnium literarum rudis Typographus, vt satius fuerit in scriniis continere, quàm ineptissimis librariis temerè committere. Posteà scripsi* opusculum de literatis Vrbis Rom. Principibus. *Scripsi* Scholia in selectiores Plinij Epistolas. *Scripsi* Compendium Rhetorices: *& hæc impressa sunt ac diuulgata. Quæ nondum edidimus,* Commentarij in Ausonij tetrasticha; varij in Comœdias hîc exhibitas Prologi: Scholia in aliquot Prudentij carmina: Paraphrases in totum fermè Valerium Maxim. Epistola vna prolixior in malos Chalcographos. *& hæc omnia iuuenis scripsi iuuenibus. Nunc autem prouectiori mihi, posteaquam cupido incessit literis mandandi* Illustrium Heroum res gestas, ab Hollandiæ nostræ Principibus *visum est auspicari: in quorum egregiis facinoribus commemorandis fidei seruandæ tàm anxiè studui, vt non vno libro contentus multas ac varias etiam bibliothecas adierim, vbi de hisce rebus aliquid extaret. Non multò pòst accessit* Catalogus Episcoporum Traiectensium, *ad quod Libelli scribendum eo consilio venimus, vt quæ tanti viri digna relatu gessere, aliquando legerentur à pluribus. Ex vberrima enim hac doctorum hominum fruge nemo adhuc, quod sciam, extitit, qui cultum orationis, velut nitidiorem vestem, his rebus adiicere sit conatus. Hoc autem tempore mihi scribuntur* facta insignia *Caroli*

roli Burgundi, quem Principem constat ante Nantium occubuisse. Spero & hac Celsitudini tuæ futura non iniucunda, vbi in publicum exierint. Habes interim, vir doctissime, in quibus studiis adolescentiæ florem consumpsimus. Ea si tu probabis nauata opera me numquam pœnituerit. Vale. Louanij Pracidaneis Feriis trium Magorum.

Hollandia vnde dicta.

Ex Iac. Meyeri Flandriæ Annal. lib. XI.

HOLLANDIAM, alij Holtlandiam, id est, terram lignorum: alij Hollandiam, id est, terram cassam & non solidam, dictam volunt. Nonnullis enim locis adeò non solida est, vt natare dicatur super aquam. Quo autem tempore ita dici cœperit, non me legisse memini. Veruntamen constat hanc appellationem admodum esse recentem. Nam Hermannus Contractus, qui scripsit ad annum vsque Domini M. LXVI. in fine vbi de Theodorico Marchione IV. eius nominis pluribus locis fit mentio, nusquam Hollandiam nominat, sed vbique Fladirtingam, ab eo puto opido quod hodie haud procul Oceano nomen habet Vlardingen, quod Gerardus Nouiomagus vetustissimum esse asserit, vocatque Vlardingam & Vlardingiacum.

GENE-

GENEROSIS ADOLESCENTIBVS GEORGIO ET PHILIPPO EGMONDANIS, ET MAXIMILIANO ISELSTEINO COGNATIS, HAD. BARLANDVS S. D.

QVANQVAM non ſum neſcius, Clariſſimi iuuenes, vndique prodire tantum librorum inutilium; exortis etiam nuperrimè qui linguarum ſtudium, ſine quo nulla diſciplina percipi poteſt, libellis editis conentur explodere; tamen cum bene ſperarem à bono & candido Lectore me vigilijs quoque meis aliquid loci impetraturum, recognoui his diebus opuſculum quoddam meum de rebus geſtis Hollandiæ principum: quod opuſculum in lucem emiſſurus vobis tribus dedicandum cenſui. Nam in Hollandia ijs maioribus eſtis prognati, quorum admirabili prudentia tot iam annis res Hollandica mirè floruit. Huc accedit, quòd in hac florentiſſima Academia me profitentem iam propè triennium auditis; atque ita auditis, vt certis colligam argumentis vos incredibili ſtudio teneri bonarum literarum.

Accipite igitur Hollandi de reb. Hollandicis qualemcunque libellum meum, in quo prælia & pugnas Illuſtrium Principum, non vitia narrauimus, nequid interim turpitudinis combiberet veſtra tenerior ætas. Valete Louanij. XII. Kal. Maias.

HADRIANI BARLANDI
DE REBVS GESTIS COMITVM HOLLANDIÆ LIBELLVS.

De Theodorico I. Hol. Comite.
CAPVT I.

CAROLVS cognomento Caluus, Romanus Imperator, & Galliarum Rex, filius Ludouici Pij Cæſaris, quum audiſſet Hollandiam Imperatoriam terram à Danis, qui Traiectum incolebant, vi bellica fœdari, *Ioannis octaui Pontificis rogatu, Principatum eius contulit Theodorico cuidam Sigiſberti Aquitani filio Troiani ſanguinis viro An. 863. vt Annales tradunt. Is confeſtim armata manu Hollandiam ingreſſus, Friſios compeſcuit primùm. Deinde cum inuidere cœpiſſent ij populi tam longam †Theodorico cum finitimis pacem, eum prouincia eiecerunt: eiectus confugit ad vnicum & promptiſſimnm ſubſidium * Carolum Caluum Imperatorem, cuius iterum opera non ita multò poſt in Hollandiam *reductus, de ijs qui coniurationis auctores fuerant, ſupplicium ſumere non diſtulit. *Obijt mortem iam ſenio confectus, anno initi Principatus quadrageſimo, relicta vxore Gena nobili femina. Peperit ei hæc Theodoricum, qui paterni Comitatus hæres poſteà fuit. Ambo & Theodoricus & Gena ſepulti Egmondæ.

*Ioānes octauus Pontifex, à quo Carolus etiam Caluus inunctus memoratur.

†Theodoricus à Friſiis Hollandia eiectus.

* Carolum quem Principem ſibi adhuc iuuenis fortiter agendo amicitia & familiaritate deuinxerat.

* Theodoricus in Hollādiam reductus.

* Accepit is etiam ex donatione Ludouici Germanorum Regis Ludouici Pij filij, anno 808. Zelandiam, vnde quum Dani, Wilti, & Slaui (qui tū prærant Dordraco & Traiecto) nouum Principem deturbare conarentur, præfectus eſt militiæ Lupoldus, alter Sueuorum Comitis filius, qui re proſpere geſta ſedibuſque inibi conſtitutis illuſtribus Borſalæ ortum dedit.

Ex Iacobi Meiēri Flandriæ Annalium Lib. I.

AN. 734. *CAROLVS Martellus Pipini ex Alpiade pellice filius, ducto in Friſiam exercitu, Poponem Ducem in acie cecidit, gentémque ſubegit.*

Ex eiuſdem Annal. Lib. II.

AN. 810. *Rex Danorum Godofridus ducentarum nauium claſſe in Friſiam appulit; raptimque omnes eius regionis inſulas depopulatus opima cum præda domum recurrit.*

Ex eodem libro.

AN. 837. *Normanni Valachriam Zelandiæ inſulam depopulantur.*

Ex eodem.

AN. 863. *Carolus Caluus Hollandiam, Batauorum olim celebrem inſulam, Comitatus honore decorauit, Theodorico cognomine Friſio, fortiſsimo viro, primo inſtituto Comite, vt haberet, quem Danis Normanniſque efferis hoſtibus opponeret.* Ex eodem.

AN. 884. *Carolus Cæſar coactus eſt pacem facere ac fœdus cum Normannis, deditque Godofrido illorum Regi in matrimonium Gillam Lotharij Regis filiam, dotémque illi adiecit Friſiam.*

COMI-


1 Theodoricus Aquitaniæ

De Theodorico ſecundo.

CAPVT II.

THEODORICVS huius nominis ſecundus, qui in demortui patris locum factus eſt * Comes, iterum rebellantes Friſios bis memorabili prælio deuicit. Egmondenſe monaſterium crematum à Friſijs, ex lapide inſtaurauit. Viſitur eadem domus hodie multò quàm tunc erat opulentiore apparatu; debeturque omnis hic ſplendor & magnificentia ædificij Menardo Mannio abbati, qui vir ſanctimonia inſigni non modo collapſa vetuſtate maiorum opera reſtituit, verum etiam propè extinctum inter ſuos * pietatis ſtudium reduxit. Theodoricus autem Comes fatalem obijt diem, anno gubernationis octauo & octogeſimo. Corpus eius ingenti hominum vtriuſque ſexus conuentu Egmondam delatum.

** Comes. Non ſum neſcius hoc verbi apud Latinos veteres non vſurpari ſolitũ pro Principe. tamen ita ſum vſus, vt vulgo ſatisfieret, cui magna ex parte hæc ſcribi videbam. Barlandus in Scholiis.*

Monaſterium Egmondenſe inſtauratum.

Laus Menardi abbatis.

** Pietatis Cuius noſtra tempeſtate neſcio quomodo maxima obrepſit mortalium animus obliuio. vt nimis verè mihi dixiſſe videatur Eraſmi Moria ſepultã eſſe apud Carthuſienſes Pietatem.*

Ex Meiëri Annal. II.

ANN. 977. THEODORICVS II. *Comes cum coniuge Hildegarde dedit Monaſterio Blandinienſi Cleiham in pago Flandrenſi, anno Regis Lotharij* XXII. *&* *Abbæ Womari* XXIII. *ſubſcribentibus Arnulpho Marchiſo Flandriæ & Arnulpho filio Theodorici Comitis, Indictione* III. *Hic Arnulphus filius Theodorici is (vt reor) erat, qui occiſus fuit à Friſonibus poſtea, ad quem vlciſcendum filius eius Theodoricus Gandauenſis (vt ſcribit Sigibertus) in Friſiam eſt profectus anno Domini* 1018. *Cleiham vero eſſe puto, quod iam vocatur prope Dixmudam Keiham. Eius miniſterium Eccleſiæ ſeruat adhuc hodie Abbas Blandinienſis.*

COMI-


2 Theodoricus Secundus

De Arnulpho

Capvt III.

ARnvlphvs tertius Hollandiæ Comes, Theodorico patri ſucceſſit. Hic Princeps multa cum Phryſijs bella geſſit. Ad poſtremum cæſus ab ijſdem, in quodam VVeſtphryſiæ agro non ſine maximo dolore ſuorum, à quibus & ipſe Egmondam exanimis deportatus, in maiorum conditorium reponitur.



3 Arnoldus Hollandiæ

De Theo-

De Theodorico tertio.

CAPVT IV.

Stella crinita.

Bellum Traiectense.

Adeboldus Episcopus captus.

THEODORICVS huius nominis tertius, defuncto patre Arnulpho, rexit Hollandiam, cuius Principatu multis diebus arsit in ea regione stella crinita, quam subsequutum est bellum Traiectense: in quo cæsis vtrinque multis haud obscuri nominis Principibus, captus etiam Adeboldus loci Præsul abducitur in Hollandiam, vbi Comitis iussu diu multumque custoditus mansit, cum propositas sibi conditiones abnuisset. Creditur eius belli præcipua causa fuisse, quòd Adeboldo instigante Phrysij rebellassent. Itaq. posteà, vt patris necem vlcisceretur Theodoricus, incensis villis, agrisque latè vastatis, omnem breui Orientalis Frisiæ regionem suæ ditionis fecit, cumque bello victis * Florentium minorem filium præfecisset, ipse victorem exercitum reduxit in Hollandiam, Hierosolymam profectus, vt Dominicum sepulchrum ex voto inuiseret, in reditu mortem obijt. Corpus eius Egmondæ illatum tumulo maiorum.

** Hunc Florentium, & alterum Theodoricum natu maiorem susceperat ex filia Ottonis, Ducis Saxonum, coniuge sua.*

Peregrinatio Theodorici Comitis.

Præfuerat hic Theodoricus Hollandiæ 46. annis; quo defuncto eius vxor Vithildis ad Saxones suos reuersa est.

Ex Meiëri Annal. 11.

AN. MVII.

BALDVINVS *Barbatus* IX. *Comes Flandriæ ob rem benè gestam in Lotharingia aduersus rebelles donatus est ab Henrico Cæsare Valachrijs cum aliis Zelandiæ insulis. Quæ quidem res origo fuit longissimæ inter Flandros atque Hollandos discordiæ ac belli, quod quadringentos propè per internalla tenuit annos, contendentibus vsque Hollandis Zelandiam iure optimo esse suam, Donatione quadam iam inde ab Ludouico Cæsare Ludouici Pij filio profecta.*

COMES



B De Theo-

De Theodorico quarto.

Capvt v.

POST defunctum patrem Theodoricus quartus Comes fuit, qui *Leodij, quò ludorum gratia cum multis alijs variarum regionum Principibus venerat, homicidio perpetrato trepidus aufugit; nec sic quidem tutus. nam alij Principes, qui cædem nobilis viri cupiebant vindicare, cum ingenti armatorum manu fugientem vsque in Hollandiam sunt insequuti. Dordraci, quam vrbem proditione occupauerant cruento certamine dimicatum, occisis vna nocte quadringentis nobilibus. Defunctus ea pugna Theodoricus, mane post solis ortum, quum animo satis otioso foris deambularet, telo in femore ictus ab hostibus, qui nocte superiore aufugerant, biduo tantum superuixit.

** Leodij. Hæc vrbs duo pariter habet ornamenta, Clerum numerosum, & Antistitem nostris temporibus Erardum de Marca, virum omnibus abunde cumulatum dotibus quæ magno Præsule dignæ videri possint. Barlandus.*

Ludi Leodienses.

Fuga Theoderici Principis.

Proditio Dordraci.

Ex Meiëri Annal. lib. III.

AN. 1048. THEODORICVS IV. *coniuratione Agrippinensium ac Leodiensium Dordraci occiditur Idibus Maij. 1048.*

COMI-



5 *Theodoricus Quartus*

De Florentio.

Capvt VI.

Comes Louaniensis. Ità habēt Annales, Cæterum hodie nullus est Comes Louaniensis: neque à rerum Scriptoribus traditur, quam ob causam sublatus sit hic Comitatus.

CVM Theodoricus sine prole decessisset, frater eius Florentius ex Frisia in Hollandiam accersitus, reip. gubernacula suscepit. Huius successibus externi Principes aliquot, Archiepiscopus Coloniensis, Antistes Leodinus & Lambertus * Comes Louaniensis inuidentes, contraxerunt exercitum, quo nouum Comitem Principatu deturbarent, quod vbi ad Florentium permanasset, statim ex consilio senis cuiusdam, quà hostem venturum credebat, factas clàm noctu ingentes foueas, vt qui intendebatur dolus procederet, fœno & stramine operuit, in quas egressi hostes cum incidissent, adfuit statim Florentius, qui magna prius edita cæde, multos abduxit captiuos, inter quos erat Comes Louaniensis, quem postea grandi pecunia redemtum dimisit incolumem. Hæc victoria Comitis tantum abfuit vt Archiepiscopum Coloniensem deterruerit, vt non multis inde annis interiectis, cum numeroso exercitu in Hollandiam sit reuersus, cui effusius omnia vastanti occurrens cum non pænitenda suorum manu Florentius leui pugna hostem fudit. Multi in eo prælio cecidere, reliqui capti, qui ætate, aut alia re impediti fugere non potuerunt. Fuit annus ille quo Florentius eam victoriam adeptus est, humanæ salutis secundus & sexagesimus supra millesimum. Habent Annales hunc eundem Principem, non multo post superatum Archiepiscopum sub arbore quadam, currendo, an pugnando defessum sedisse, ibique interemptum ab his qui superiori prælio fugerant.

Insidiæ.

Victoria Comitis.

Victus Archiepiscopus Coloniensis.

Alij cadem eius in annum 1061. incidisse volunt, 14. Calendas Iulij.

Vbi interemptus Florentius Comes.

Ex Meieri Annal. III.

AN. 1057. *IN Synodo Agrippinensi data est pax à Cæsare Henrico* IV. *qua Balduinus Pius Comes Flandriæ terram omnem inter Schaldim & Teneram, quinque insulas Zelandicas cum quatuor officiis retinuit anno 1057.*

COMI-



De Gertrude

De Gertrude

CAPVT VII.

Gubernauit & præfuit biennium.

† Nam quatuor filios & vnam filiam reliquit, Philippo Francorum Regi connubio sociatam.

MORTVO Florentio præfuit vxor eius Gertrudis, qua * gubernante, non inuenio vſquam bellatum. Hæc vita deceſſit, edita iam ex duobus maritis † numeroſa prole.

COMI-



De Roberto

De Roberto.

CAP. IIX.

** Hic Theodoricus ex quatuor Gertrudis filiis natu maximus fuit.*

ROBERTVS ſecundus Gertrudis maritus * Theodorici priuigni ſui, necdum maturi, gubernaculis tutor aſcitus Remp. ſumma integritate continentiaque rexit. Pulſus tandem à Godefrido Lotharingiæ Duce, qui Traiectenſis Antiſtitis opibus fretus Hollandiam per vim occupauit.

Ex Meiëri lib. III.

AN. 1063. ALDERNARDÆ *indictus à Balduino Pio Flandriæ Comite optimatium conuentus, confectum ibi matrimonium inter Robertum Pij filium natu minorem ac Gertrudæ viduam Florentij Comitis Hollandiæ, Inſtitutus Robertus Procurator Hollandiæ, ac Tutor liberorum Florentij ex voluntate Legatorum Hollandiæ. Aſſignatæ Roberto pro ſua hæreditaria portione* V. *Inſulæ Zelandicæ, Walachria, Schaldia, Zuytbeuera, Nortbeuera, Borſelia, Comitatus adhac Aloſtanus cum terra* IV. *Officiorum ac grandi pecuniæ ſumma. Profectus igitur Robertus continuò in Hollandiam cum Gertrude celebrauit nuptias, ſtatimq. Friſius indicto bello partem aliquantam eius regionis ſubegit, indéque nomen ſibi Friſio peperit.*

AN. 1070. *Anno 1070. cum Friſiis bellum geſſit, citeriores Friſios ſimul Kerlandos & Alkemarchos domuit, priuignos ſuos Theodoricum, Florentium, Bertam ſtrenuè defenſauit.*

COMI-



8 *Robertus Cognomento Frisius*

De Godefrido.

Capvt ix.

Godefridvs cum iam videret omnia ſibi ex animi ſententia ſuccedere, factus multo elatior, bellum Friſijs intulit,quibus deuictis reuerſus in Hollandiam ſubſedit*Alcmariæ, nouem interim hebdomadas à Friſijs obſeſſus, implorauit opem Traiectenſis Antiſtitis, qui repente ſuccurrens, multis milibus Friſiorum cæſis, Alcmariam obſidione ſoluit. Poſtea idem†Godefridus, qui Gibboſus dictus(quòd grandis ei pectore gibbus excreuerat)condidit oppidum Delfenſe,noſtris temporibus,diuitijs, & pietate multum inſigne. Tradunt quidam eum,cum fortè ventrem exoneraret, grauiter vulneratum, paucis poſt diebus animam efflaſſe, luiſſéque hoc modo pœnas*alieni per vim occupati imperij.

* Alcmariæ. *Oppidum eſt Hollandiæ perquam amænũ, vbi noſtra memoria Ludus Literarius fuit longè pulcerrimus, cui præerat Io. Murmellius, vir doctrina neutiquam vulgari. quo defuncto Schola illa repente diſſipata eſt.*

Alcmaria obſeſſa à Friſiis.

† *Godefridus Gibboſus conditor oppidi Delfenſis, Laus eiuſdem oppidi.*

* *Nam (vt dictum eſt) expulerat eieceratq́. Hollandia Robertum Tutorem eius pueri, qui hæres per ætatem adminiſtrare non potuit.*

Ex Meiëri Annal. lib. iii.

Godefridvs *Lotharingiæ Dux cognomento Gibberoſus auxilio Guilielmi 21. Traiect. Epiſcopi inuaſit Hollandiam. Reſtitit Robertus quantum maximè potuit, occurrit hoſtibus cum exercitu ad Caſtellum, nomine Leidam, ſed pugna ibi commiſſa, deteriore fuit fortuna, victúſque & fugatus cum vxore & liberis profugit Gandauum, quo ad eum raptim omnis conuenit Nobilitas Flandriæ Teutonicæ, durum Richildis imperium, auaritiam, ſuperbiámque muliebrem exoſa. Nam præter alia noua vectigalia, quaternos tota Flandria denarios à ſingulis exegit lectis.*

COMI-



 De Theodorico

De Theodorico quinto.

CAPVT X.

GODEFRIDO igitur cæſo, redijt Comitatus in familiam & ad verum hæredem Theodoricum huius nominis quintum, qui adminiſtrationem adeptus, prò magno habuit negotio, recuperare patriam hæreditatem, cuius gratia Conrado Traiectenſium Antiſtiti bellum indictum, exercitus conflatus, qui cupiditate recuperandæ hæreditatis, per vim ademptæ, mirum dictu, quanta ſit alacritate, & impetu hoſtem aggreſſus, qua quidem re factum, vt territus Antiſtes, ac veritus, ne illud malum plus nimio inualeſceret, deditionem fecerit. Itaque pax facta, & quicquid anteà vi armiſque Conradus Theodorico adhuc puero ademerat, redditum. Ortum intereà nouum à finitimis bellum, Friſijs nouo Comiti rebellantibus, contrà quos per concretas frigoribus aquas (iam enim brumæ tempus erat) profectus Theodoricus, modico negotio eorum aciem diſiecit, cæſis in cocertamine quatuor Friſiorum milibus. Tantum abfuit, vt ea clade accepta quieuerint, vt eodem tempore contracto alio exercitu, eduxerint contrà Theodoricum, qua rebellione vehementer commotus redijt ille, eſtque eo die atroci concurſu tanta Friſiorum ſtrage pugnatum, vt nullius neque ſexus, neque ætatis reſpectus ſit habitus. Plures etiam villæ atque pagi incenſi. Stauria tribus hebdomadibus circumſeſſa, tandem his conditionibus rebellionis veniam impetrauit, vt deditione facta certam pecuniæ quantitatem Theodorico daret. Hunc in modum ſubactis Friſijs pax compoſita, perpetuumque obſequium Hollandiæ Comiti promiſſum. Hic Theodoricus vita defunctus eſt, cum præfuiſſet annis quinque & viginti.

Bellum indictum Episcopo Traiectensi.

Pax inter Episcopum & Comitem.

Bellum Frisicum.

Iterum cæsi Frisij.

Stauria.

COMI-



De Florentio

De Florentio ſecundo.

Capvt xi.

**Florẽtius pacis amator.*
† Florentius optimus Princeps.
* Omnibus prodeſſe, &c. *Nunc contra faciunt Principes, quorum vnum ſtudium eſt, aſſiduis exactionibus populo ad egeſtatis terminos redacto, ſuum ærarium locupletare.*

Filivs eius* Florentius deinde imperat, vir excelſa ſtatura, obœſo corpore, pacis quàm belli amantior. Egenos hic & pauperes (quod magnum iuſtitiæ opus eſt) aluit, ſtuduitq́ue toto Principatu,* omnibus prodeſſe, nocere nemini. Hoc modo viuendo, omnes qui ante eum fuere Comites virtute ac ſanctitate antecelluit, mortuus, poſtquam annis duobus & viginti in ſumma pace & otio Hollandiam rexerat.

Ex Meiëri lib. iv.

an. 1096. Repetit *Henricus* iv. *Cæſar à Roberto Comite Flandriæ* xiv. *Aloſtanos, quatuor Officia, Arcem Gandenſem, & Inſulas Zelandicas, verum Roberto ſua fortiter defendente Henricus cogitur incæpto deſiſtere.*

Ex eodem.

an. 1108. *Hollandi fœdere cum Henrico* v. *Cæſare icto Zelandicas Inſulas à Roberto repetunt 1108.*

Ex eodem.

an. 1113. *Obiit ſepelitúrque Furnis Gertrudis, Vicecomes Furnenſis, Balduini Securis auia, Roberti Friſy vidua, anno 1113.*

COMI-



11 Florentius 2 Cognom: Pinguis.

De Theodo-

De Theodorico ſexto.

Cap. XII.

FVIT inde Comes Theodoricus ſuperioris Florentij filius, natu maior, qui ſubita defectione rebellantes Friſios domuit, atque ad obſequium retraxit. ſed non diu illi in officio manſerunt. Nam paulò poſt Florentio Nigro, quem in Theodoricum fratrem animo infenſo eſſe non ignorabant, ſocia arma iungentes, hoſtiliter in agrum Hollandicum incurſione facta, Alcmariam incenderunt, exarſiſſetque multo latius id incendium, niſi repente certior factus Theodoricus hoſtem retrò abire coegiſſet. Haud multo poſt, cum allatum eſſet vxoris eius fratrem à Friſijs captum, exercitum à Traiectenſium Antiſtite ſuperatum, *Traiectum profectus hoſtiliter eam vrbem circumſedit, eratque omnifariam mox inſtrumentis oppugnaturus, niſi cum vniuerſo clero Heribertus Antiſtes Pontificio habitu vrbem egreſſus, vt anathemate Comitem notaret, militem compreſſiſſet. Commentarij, quos ſequimur, tradunt ipſum quoque Theodoricum ad Antiſtitis pedes iacentem anathematis fulmen ſuppliciter deprecatum. ſupplici ignotum, Vrbſque obſidione liberata. Huius †Theodorici temporibus Traiecti, neſcio quo caſu, ortum incendium, cuius adeò flamma inualuit, vt præcipua Vrbis templa, non pœnitendis adornata imaginibus, arſerint. Miraculi loco habitum, quòd in tanta *pulcherrimæ vrbis conflagratione Ædem Saluatori dicatam ignis non attigit.

Alcmaria incenſa.

** Obſidio Traiecti.*

† Traiecti ortum incēdium.

** Traiectum vrbs pulcherrima.*

Quidam ſcribūt huius Theodorici temporibus in Gallia tanta laboratum ſiccitate, vt fontes, putei, lacus, fluuij omnes exaruerint, ac veluti rimis fatiſcente terra, flammeus quidam eruperit ignis, qui perpetuum biennium durauit.

COMI-



12 *Theodoricus Sextus*

De Florentio tertio.

Cap. XIII.

a Filia Regis Scotiæ data Florentio Comiti. Viboldius Abbas Egmondensis.

Fredericus imperator venit in Hollādiam.

Alcmaria iterum incensa.

Saracenorum cædes.

Florentius in Antiochia mortuus.

THEODORICVS, cuius modò res gestas perstrinximus, filium^a reliquit Florentium, qui posteà factus Comes matrimonio sibi iunxit filiam Regis Scotiæ, quam à Viboldio Abbate Egmondensi, viro multa sanctitate prædito, in Hollandiæ portum aduectam incredibili apparatu lætitiaque excepit. Hunc, & Godefridum Traiectensium antistitem, de Frisiæ imperio contendentes, in gratiam reduxit Fredericus imperator, qui sedandæ altercationis gratia id temporis in Hollandiam descenderat. Contigit paucis post mensibus, vt, Florentio Comite maioribus curis occupato, Frisij in Hollandiæ agrum egressi Alcmariam iterum incenderint. qua re commotus Florentius, educto exercitu, cum Frisiorum gente conflixit, victi Frisij non paucis argenti modijs pacem redemerunt. Estque deinde Florentius cum plerisque alijs illustribus viris Hierosolymam profectus, quibus omnibus, cùm vna esset susceptæ peregrinationis ratio, vt Saracenos, qui terram sanctam inuaserant, diuino freti auxilio eijcerent, bis cum ea gente dimicauerunt, ac primo prælio interfectorum armis adiuti, altero ità fœdè hostem afflixerunt, vt in ea pugna vndecim Saracenorum milia ceciderint. Spolia ampla relata: tamque singularis victoriæ auctori Deo actæ gratiæ, si satis diligenter, & integra veritate compositi Annales. Perijt Florentius in Antiochia.

COMI-



13 *Florentius Tertius*

De Theodorico ſeptimo.

CAPVT XIV.

THEODORICVS ſeptimus patri Florentio in Antiochia defunɛto ſurrogatur,qui Comitatum adeptus cum Gulielmo fratre ſuo in Zelandia ſatiş atrociter conflixit. Verùm non multò poſt Balduinus Traiectenſium Antiſtes & Theodoricus Archidiaconus concordiæ auɛtores fuêre,hac conditione, vt Gulielmus Theodorico maiori natu Comitatum Hollandiæ cedens in Friſia Orientali Remp. adminiſtraret, & quotannis ex Geervlitenſi teloneo trecentarum librarum (vt vocant) reditum acciperet. Deſijt poſteà in humanis agere Balduinus antiſtes, à cuius obitu Theodoricus Hollandiæ Comes ſedis Traiectinæ (de qua electis duobus contendebatur) factus eſt Tutor. cui ſumma fide rès Eccleſiæ curare nitenti,obſtitit Geldriæ Concilium: eſtque ob id cum ea gente dimicatum. Poſtquàm hic motus reſedit, Comes Theodoricus cum exercitu Brabantiam ingreſſus *Buſcumducis vi cepit. eratque nobiles inde viros aliquot in Hollandiam abducturus,niſi ſubitus Lotharingiæ Ducis aduentus omnia mutaſſet. Nam cæſis illic in magno numero Hollandis,dux ipſe captus non potuit priùs in ſuum Comitatum redire, quàm omne damnum, quod Buſcoducenſibus intulerat, æqua æſtimatione perſoluiſſet. Idem quùm ânnos tredecim rexiſſet, & morbo graui non longè à Dordraco premeretur multùm angebatur Gulielmi fratris abſentia, quem Adæ filiæ adoleſcentulæ admodum, & immatura adhuc ætate, ad imperandum relinquere tutorem cupiebat. hiſque implicitus curis moritur, omnibus magnum ſui deſiderium relinquens.

Mors Balduini Traiectenſis Epiſcopi.

Pugnatum cum Geldris.

Captum Buſcumducis.

** Vrbs ea eſt Brabãtiæ cumprimis inſignis, vicina Geldriæ, cum qua gente his annis aliquot belligerata eſt.*

Ada filia Theodorici.

COMI-



14 *Theodoricus Septimus*

De Ada.

CAPVT XV.

ADA ſuperioris Theodorici filia, mortuo patre, nupſit illuſtri viro Ludouico Comiti Loſſenſi. cui cùm tantum coniugium à finitimis quibuſdam Principibus inuideretur, magni bellorum motus in Hollandia orti, vix tandem poſt multàm cædem reſederunt.

COMI-



15 Ada Theodorici Septimi Filia

De Gulielmo

De Gulielmo I. Theodorici ſeptimi fratre.

CAPVT XVI.

**Nam frater erat ſuperioris Theodorici, & Ada Theodorici filia ſine prole deceſſerat.*

Dordracum incenſum.

ADÆ neptis gubernationem* Gulielmus Orientalis Friſiæ Comes excepit. ab hoc inimicorum arces aliquot euerſæ. Incenſum à Traiectenſibus Dordracum huius principatu. Cauſam vaſtationis eius non inuenio. Pax tandem inter Hollandos & populum Traiectenſem ità compoſita eſt, vt Comes Gulielmus, qui prius multò maiore incommodo Traiectenſes affecerat,* mille talentûm Antiſtiti perſolueret. Hic Molgtolini auunculi ſui, Scotorum Regis, audita morte, per quam Regnum lege ad ſe rediſſe putabat, claſſem contraxit, qua Scotiam ingreſſus multa oppida expugnauit; ſed cum à Ludouico Loſſenſi Comite Hollandiam igni ferroque vaſtari accepiſſet, ne certum & iam acquiſitum Comitatum pro incerto Regno amitteret, domum reductis nauibus, Ludouicum adortus eſt: qui Hollandiæ agros latiſſimè populabatur. Obijt mortem hic Gulielmus anno initæ apud Hollandos gubernationis vndeuigeſimo, in Friſia Orientali ſexto & vigeſimo.

**Facit nummi noſtratis ſexcenta millia aureorum.*

Gulielmi Comitis in Scotiam profectio.

Reditus Gulielmi in Hollandiam.

COMI-



16 *Guilielmus Primus.*

De Florentio quarto.

CAPVT XVII.

** Ex priore coniuge ſuſceptus. duas enim duxerat.*

FILIVS eius *Florentius huius nominis quartus fit inde Comes, peritia dimicandi nulli ſuperiorum principum ſecundus. Magnitudine rerum geſtarum huius viri accenſa Claremontenſis Comitis vxor maritum orauit, vt ludos militares ex induſtria pararet; rata futurum vt Florentius ſtudio dimicandi cum ſuis accurreret. Conſtituitur certamini dies, ad quem diem cùm & Florentius, cuius vnius gratia factus erat ille apparatus, veniſſet, læta mulier conſcendit partem domus ſuperiorem, vt ex editiore feneſtra dimicantem proſpectaret, cuius virtutem ipſa cùm ſubinde laudibus ferret, ſuſpicans maritus adductum ſibi ante oculos tori inſidiatorem, contractis clàm armatis in locum certaminis deſcendit, omniſque rei ignarum*Florentium obtruncat.

Cædes Florentij Comitis.

** Obtruncati corpus ad Rhenoburgenſe Cœnobium deportatum ibi loci magnificè ſepelierunt Almaniæ proceres. Periit autem hic Florentius viridi adhuc ætate, quùm annis 12 Hollandiæ præfuiſſet.*

Ex Meiëri Annal. IIX.

AN. 1233.

ANNO *1233. incitante Gregorio* IX. *ductæ ſunt terra maríque copiæ in genus quoddam Hæreticorum, qui Statingi vocabantur Bremenſibus contributi. Huic expeditioni interfuit Florentius, & trecentas Hollandi naues ad id bellum miſiſſe feruntur, Statingi partim interfecti, partim in ſiluas & inuias paludes ſe abdiderunt.*

Ex Meiëri Annal. lib. IX.

AN. 1278.

ANNO *1278. obiit Mathildis filia Florentij Comitis nupta Hermanno Comiti Hennenbergenſi, ſepulta apud Loſdunum in Monaſterio à matre Mathilde filia Henrici Ducis Brabantiæ fundato. Hæc ea eſt quæ vno partu liberos peperit 365. qui omnes ab Othone Epiſcopo Traiectenſi ſacris abluti ſunt fontibus in pelui ſimul iacentes, ac deinde obierunt. Hoc illi accidiſſe putatur ideò quòd paupercula cuidam mulieri geminos exprobraſſet, perinde atque adulteræ, quæ conſcia pudicitiæ ſuæ: Oro (inquit) Deum vt tot pariat ipſa, quot dies continet annus. Errant, qui eam Margaretam Comitem Hollandiæ vocant, eúmque partum anno 1314. aſſcribunt.*


17 Florentius Quartus

De Gulielmo ſecundo.

Cap. XIIX.

Occiso Florentio, Gulielmus filius eius nondum maturus adminiſtrationi erat, ſex tantùm natus annos: tamen ei Comitatus Hollandiæ ad puberem ætatem incolumis manſit, tutela patrui Ottonis Traiectenſium Antiſtitis. Hic Gulielmus armorum, quàm auri multò ſtudioſior, imberbis adhuc, & vix dum annum agens viceſimum Romanorum Rex eligitur. cui inde Leodium per Antiſtitem loci conſanguineum ſuum perducto vniuerſus clerus extra vrbem officij cauſa obuiam proceſſit. Eodem ferè tempore apud Treuirorum Archiepiſcopum pluribus diebus commoratus, redijt poſteà in Hollandiam; inſtituitque non longè ab oppido Delfenſi Concilium, ad quod Hollandi Zelandique ſuas cauſſas deferrent, locus dicitur* Haga-Comitis. Idem Princeps nuntijs & literis certior factus Margaretam Nigram, quæ per id tempus Flandriæ præerat, exercitum conflaſſe ad expugnandam diripiendamque † VValachriam Zelandiæ inſulam, Florentium fratrem cum armata iuuentute eô miſit, vt Flandros ab iniuria arceret. Accidit fortè, vt non longè à Middelburgo, nobili Zelandiæ emporio, duo exercitus inter ſe concurrerint. Fuit ea pugna Flandris tàm cruenta, vt latiſſimè ſeſe in Middelburgenſem agrum ſanguis effuderit. quod cùm Gulielmus Rex audiuiſſet Flandros memorabili clade affectos, nauigans eueſtigiò in Zelandiam, ſuppliciter accurrentibus Flandrorum reliquiis pro innata ſibi clementia veniam dedit; cumque omnes detractis veſtibus nudos remiſiſſet, ne à tanta illa clade reuerſi ludibrio ſuis eſſent, ex virentibus piſis ſubligacula ſibi feciſſe traduntur. In hunc modum ſuperatis Flandris* Gulielmus ab Inno-

Gulielmus Rex Romanorum electus.

Concilium in Haga Comitis.

**Hic locus non eſt muro cinctus, tamen ſplendore atque elegantia ædificiorũ multa ſuperat eius regionis opida.*

† Habet hæc Inſula Vrbes aliquot inſignes, in quas ex toto penè terrarum orbe merces conuehuntur. facit hoc portuum tanta commoditas.

Middelburgum Emporium Zelandiæ.

Gulielmi clementia.

** Legitur in Commentariis Rerum Hollandiæ, hunc Gulielmum per id tempus, XII duntaxat aſſumtis viæ comitibus, furtim veniſſe in Italiam: atque ita habitu peregrini pleriſque luſtratis opidis Ianuæ ab Innocentio Pont. Max. nullo non honoris genere exceptus Corona Imperij ab eodem donatur.*

ab Innocentio Pontifice Max. in Italiam accersitus Ianuæ *Cæsarea accepit Insignia. Inde profectus in vlteriorem Almaniam, vbi per omnia opida, pagos, & arces maximis est honoribus cohonestatus, exilientibus vndique ad Regis aduentum plurimis. intereà certior factus Frisiorum rebellione turbari Hollandiæ otia, ingenti armatorum manu reuersus cum hoste bis conflixit, semel primo aduentu, estque tunc Regijs viribus Frisiorum miles subactus, item post v. Kal. Febr. cùm omnia diuturnum gelu peruia fecisset, Frisiam iterum ingressus ante initum prœlium occiditur, nouem & *viginti annis in publica administratione completis.

Innocentius Pontifex Max.
Gulielmus Cæsar factus.
** Meierus fol. 78. errorem esse notauit.*
Pugnatum cum Frisiis.
Gulielmus in Frisia cæsus.

* *Præfuit Hollandiæ annis XX. in administratione verò imperij Rom. annos octo compleuerat. Sunt qui scribant, multò priùs à nescio qua Vate prædictum, fore vt armis Frisiorum victus occumberet.*

Ex Meiëri Annal. lib. IX.

GVLIELMVS *Cæsar Margaretam Comitem Flandriæ terris Imperialibus priuauit, propterea quòd fidem Cæsari non præstitisset, illásque Ioanni Auennio attribuit: Terram (inquit) de Namurco cum suis appendicibus, terram iuxta Scaldem, terram Alostensem, terram de VVasia, terram IV. Officiorum cum omnibus appendicibus sororio nostro nobili viro Ioanni Auennio, vt eadem Comitissa in Feudum tenuit, concessimus, à nobis & Imperio perpetuò possidendas, quarum terrarum homines & habitatores eidem Ioanni obedire volumus & præcipimus. Datum Francofordiæ, V. Idus Iul. 1252. Regni nostri anno IV.* AN. 1252.

Idem Auennium in Hannoniam, vnde à matre depulsus fuerat, restituit anno 1253. Margareta, vt occupatos ab hoste recuperaret dominatus, grandem ex Flandria Atrebatesióque conflatum exercitum cum duobus filiis misit in Zelandiam. Sunt auctores, agente Duce Brabantiæ Henrico, indictum fuisse Andouerpiæ de rebus componendis conuentum, eáque de caussa factas aliquot dierum inducias, quas Margareta fregerit, sperans inopinatos Florentium Hollandum, ac Lupum Climanum Cæsarios duces profligare. Vtcumque sit, Flandris ea expeditio opidò quàm infeliciter cecidit. Nam acerrimè ab Hollandis in insidijs locatis excepti atroci prælio victi sunt, ac fœda occidione ad magnum numerum cæsi. Capti Principis filij Guido, Ioannésque cum Comitibus Theobaldo Barrensi, ac Godofredo Ghisnensi cum alijs CCXXX. (vt Guisianus tradit) Equestris ordinis viris, tota classe cum omni instrumento bellico amissa. Hæc in Walachria ad Westcapellam IV. Nonas Iulias retulêre quidam in literas ad XXX. vel hoc amplius hominum millia hîc ex nostris occubuisse. Misit Margareta Valterum Tornacensium ac Rodolphum Morinorum Episcopos vnà cum Philippo Decano D. Donatiani Brugensis ad Cæsarem de redimendis liberis in Hollandiam. at ille adiri se non est passus, sed statim in Vangiones se contulit, Legati magna diligentia insecuti post longam exspectationem tandem hoc accepêre responsi. Quandoquidem multis modis Margareta perduellionis esset rea, quòd se Cæsari deuincere abnuisset, quòd tridui inducias per Ducem Brabantum pactas violasset, primùm omnium sese purgatam redderet, Cæsareæq; Maiestati satisfaceret, hinc de liberorum redemptione ageret. Hoc per Hugonem Spiranum Imperij Cancellarium, ac Cononem Moguncia-censem Episcopos accepto responso domum legati reuertuntur. Margareta tali responso nihil admodum permota res omnes aduersas inconcusso inuictóque pertulit animo, nec vltrà dignata ad Cæsarem mittere, nihil nisi de bello reparando cogitauit; magnámque spem in Ludouico Rege Christianissimo, cuius iam ex Syria nunciabatur reditus, posuit. AN. 1253.

AN. 1254. *Anno 1254. missa rursùm legatio in Germaniam ad Gulielmum Regem de Guidone ac Ioanne cæterisque Nobilibus captiuis liberandis, non ab Margareta, sed nomine Regis Ludouici ac V. ciuitatum Flandriæ. Propositæ à Cæsare hæ conditiones: Fateretur Margareta Cæsaream se minuisse Maiestatem, cederent Flandricæ ciuitates vel reclamante Margareta Comiti Hollandiæ in perpetuum Valachriam, Guido ac Ioannes eius frater cederent æternùm fratri suo Ioanni Auennensi Dominatus Imperiales sitos inter Flandriam & Hannoniam iuxtà placita conuentus Francofordiani. Ad hæc approbarent Pacem ab Ludouico Rege Odonéque Rom. Pontificis Legato Cardinale anno 1246. anteà factam. Numerarent ijdem pro sui duntaxat redemtione 200000. Florenorum iusti ponderis. Hac vbi domum renuntiassent Legati, Margareta celebri Procerum conuentu: Viri fortes (inquit) Guidoni filio Flandriam post me assigno possidendam. Vestram obtestor fidem, vti eam aduersus hostem nostrum Hollandum, meósque filios Auennienses strenuè defendatis. Quòd si fortè Guido in custodia Hollandica moriatur, filium eius natu maximum Flandriæ Comitem salutabitis. His ita constitutis ad Ludouicum Regem proficiscitur petitum eius opem, qui tum egit Parisiis apud Fanum Germani in Laia. Non continuò promissa illi auxilia, propterea quòd contrà placita Pacis anni 25. caussâ Ferdinandi Comitis facta, fecisse videretur. Munierat Arcem Ruplemondam aduersùs Hollandum. Dictum erat, ne quam tota Flandria Arcem Comites restituerent fundaréntue absque Regis consensu. Ipsa Ruplemondam licet Cisscaldanam non in Regno, sed in Imperio sitam esse contendebat, atque ita vetere ritu fuisse obseruatum. Attamen post longam cum Margareta disceptationem decreta illi amplissima contrà Hollandum auxilia, Carolo Regis fratri demandata prouincia sub hac conditione, vt dissolueret Margareta omnes belli impensas, Hannoniámque, dum ipsa viueret, Carolo possidendam traderet, quæ morte ipsius ad Ioannem Auennìensem rediret. Venère cum Carolo Duces Burgundus, Lotaringus; Comites Alenconius, Borbonius, Stampanus, Sabaudus, Campanus, Altisiodorensis, aliique nobiles permulti cum firmissimo exercitu. Compendium omnes conueniunt, ibi copiæ recensentur. Indictum Hollando bellum, datus dono ab Hollando Fœcialibus qui bellum indixère torques aureus Guidoni captiuo detractus. Ascana planities in confinio Brabantiæ certo die pugnæ constituta. Recepta ante omnia Ruplemonda, exercitum deinde Carolus Margaretáque duxerunt in Hannoniam, Valentianæ, Castrilocus, Senogiæ, Binchium, Melbodium, Beaumontium, Atha, ac reliqua omnia opida recuperata, excepto Bochano, cui parcitum est, eò quòd tum ibi Alisa Ioannis Auennij vxor iaceret puerpera, & Angia virtute Galteri Angiani defensa. Hollandus Auenniúsque cum copijs haut contemnendis Valentianas recipere tentarunt, sed mox reiecti sunt, ac tota Hannonia expulsi.*

AN. 1255. *Anno 1255. Post Caroli ex Hannonia discessum Valentianas Cæsar recepit, cæteris opidis in fide manentibus Margaretæ. Ludouicus Rex ad Cal. Oct. Gandauum venit ad redimendos de Cæsare Margaretæ liberos sed re infecta Gandauo decessit. Et paulò pòst Gulielmus Cæsar, quo fata trahebant, in Frisiam proficiscitur, vt bello eam gentem quateret, sed victus ibi est atque occisus sub Kal. Febr. Refert Albertus Crantz, ne hodiè quidem constare vbi corpus sit tumulatum. Errare eos puto, qui hunc tradunt Genuæ ab Innocentio IV. accepisse Cæsarea insignia.*

Clade Gulielmi adeò fractus est Ioannes Auennius, vt ex mœrore animi morbo contracto finem viuendi fecerit IX. Kal. Ian. Anno 1257. sepultus Valentianis.

COMI-



18 Guilielmus Romanorū Rex

De Florentio quinto.

CAPVT XIX.

** Florentius adhuc infans in cunis vagiebat, quum pater eius Gulielmus à Frisiis est interemptus.*

Frisij bello petiti.

FLORENTIVS huius nominis quintus annum agens ſeptimumdecimum vindicaturus patris Gulielmi cædem Friſijs bello indicto non multo poſt cum ingenti armatorum manu deſcendit. Congreſſi tum prœlio Friſij plus octingentos è ſuis amiſere. Florentius poſt aliquot annos iterum cum exercitu in Friſiam reuerſus proſperè pugnauit. Eodem tempore ſenis cuiuſdam indicio inuentum patris corpus, quod vſque in eam diem interfectores eius occulerant, Middelburgum in Zelandiam deportandum curauit, ſepeliuítque magnificentiſſimè in Præmonſtratenſium Fratrum monaſterio, quo non eſt hoc tempore ſtructura magnificentius aliud in ditione Burgundica. Meruit hàc re illuſtris Princeps ſingularis in parentem pietatis laudem. Porrò defunctus ſepulturæ munere cum Flandris, qui mox ad ſubigendam VValachriam adfuturi dicebantur, nauali prœlio certare conſtituerat; ſed priuſquam educere in hoſtem potuit, intereà adfuit Brabantiæ dux Ioannes, quo adnitente facta pax, quæ vt firmior eſſet Guidonis Flandriæ Comitis filia Beatrix nomine Florentio in matrimonium data, ex qua cum ſuſcepiſſet quatuor filios, tres in flore primo extincti ſunt. Multa in diuerſis Hollandiæ opidis palatia magnifico extruxit apparatu; & ſeceſſus fecit amœniſſimos, in quibus nunc venationi operam daret, nunc inter forma excellentes virgines delitiaretur. In re quoq. militari dimicando iaculandoque ſe multum exercuit. Proditum eſt, eum domi ordinatis rebus in* Angliam traieciſſe, vt Scoto-

Monaſterium Præmonſtratenſium Middelburgi.

VValachria Zelandiæ inſula.

Guido Comes Flandriæ.

Opera Florentij Principis.

Florentius venationi deditus.

Florentij in Angliam traiectus.

rum

** Hæc Florent Inſula tres habet præcipuas Ciuitates Cantium, Eboracum, Londinum. habet & Metropoles duas, Cantuarienſem & Eboracenſem. habet denique Gymnaſia totidem, in quibus (vt audio) non minus honoris habetur Linguarum vtiliſſimarum ac pulcherrimarum ſtudio, quàm cæteris diſciplinis, quæ in pluribus aliarum regionum Scholis ob quæſtum magis ſunt in pretio.*

rum gentem ſubigeret: verùm rebellione Flandrorum reuocatus, mentem ad alia vertere coactus eſt. quæ omnia prætereo ſtudio inſtitutæ breuitatis. Extremo vitæ tempore magis contumeliæ cauſſa, quàm impulſu libidinis corrupit vxorem Gerardi cuiuſdam Velſeni, quem ipſe prius ad ſummos honores prouexerat. Hoc factum eius cùm intolerabile videretur, conſpiratum eſt in eum à multis, Velſeno & Hermanno VVoerdeno corruptæ patre; conſpirationis principibus. Apprehenſus igitur Traiecti, cum auditum eſſet in Hollandia contrahi exercitum ad liberandum Comitem, duobus & viginti vulneribus à Velſeno confoditur. Velſenus poſteà captus perpetrati ſceleris pœnas dedit.

Florentius XXII. vulneribus confoſſus Traiecti.

Ex Meiëri Annal. lib. IX.

ANNO 1256. *Bruxellæ pax conuenit inter Margaretam Comitem ac* Florentium *fratrem Gulielmi Regis defuncti eundémq. Tutorem Florentij* V. *ac procuratorem Hollandiæ. Liberati Guido, Joannéſque* Flandrenſes *cum ceteris captiuis grandi ære, nam proditum eſt, hîc Gandenſes per ſe contuliſſe ad* 8000. *nummûm. Pactum, vt* Florentius *Tutor, aut eo deficiente* Florentius *eius pupillus duceret vxorem Beatricem Guidonis Comitis filiam, cui dos eſſet Zelandia tota in fide ac clientela Comitum* Flandriæ. *Quod ſi caſus ità ferret, vt neuter horum Beatricem duceret, tunc vnus aliquis ex filiis Guidonis duceret Machtildam, Gulielmi Regis cæſi filiam, cum Zelandia, quo dictum eſt modo tenenda, approbata per Hollandos pax anni* 1167. *quantum attinet ad vectigalia* Zelandica *ac libertatem* Flandricorum *mercatorum. Confirmata apud Peronam pax menſe Sept. anni* 1246. *facta per Regem Ludouicum atque Odonem Cardinalem, Criuechors & Alluetum Guidoni, Bochanum & Oſteruandia Ioanni Auennio poſt*

AN. 1256.

F mortem

mortem matris per eundem Regem attributa. Interdictum Flandricis *Hannonicisque exulibus in Hollandiam refugium; ademptum & Hollandicis inuicem in* Flandriam *& Hanno-niam. Duxit itáque secundum formulam huius fœderis* Flo-*rentius* v. *posteà Beatricem in matrimonium, primus Comes appellatus Zelandiæ, quam cum insulis ipsius omnibus possedit. Cessit & Carolus Andegauensis, Ludouici Regis interuentu, Hannonia, solutis illi belli superioris impendiis.*

Florentius v. primus Zelandiæ Comes appellatus.

Ex Meiëri Annal. lib. x.

AN. 1303.

FLORENTIVS *Comes Hollandiæ Gulielmi Cæsaris cæsi à* Fri*siis filius, à familiaribus suis Hermanno, Gerardo, Gisberto, dum aucupio animi gratiâ indulget, fœdo parricidio occiditur per caussam, quòd quibusdam arcibus ac possessionibus istos spoliasset in gratiam Joannis Episcopi, qui Ecclesiæ esse bona contendebat. Audaciores fortè facti fuêre percussores isti, quòd præter populares suos Eduardum Regem, suúmque socerum Guidonem Flandriæ Comitem* Florentius *offendisset. Habebat enim Beatricem filiam Guidonis in matrimonio, ex qua natus filius Joannes duxerat vxorem Elisabetam filiam Regis Eduardi. Nihilominus tamen tanta erat Gallorum Regis largitio & corruptio, vt Anglo* Fl*andróque relictis, cum Gallo & Ioanne Comite Hannoniæ filio amitæ suæ fœdus feriret.*

COMI-


19 Florentius Quintus

De Ioanne primo.

Cap. xx.

Diſcordia laboratum in Hollandia.

Gigas Nicolaus

INTERFECTO Florentio, cùm puer adhuc abeſſet in Anglia filius eius Ioànnes, diſcordia aliquamdiu in Hollandia laboratum eſt; donec miſſi in Britanniam legati Comitis nuper cæſi hæredem reducerent, ſub cuius appulſum omnis repentè ſedatus motus. Hic Ioannes natu grandior bis rebellantes Friſios aggreſſus magnis affecit cladibus. Hoc etiam Principe Dordraci tumultuatum eſt. deceſſit poſt exactum in adminiſtratione quadriennium. Eodem ferè tempore vixiſſe dicitur in Hollandia gigas, Nicolaus nomine, cuius immanitas corporis omnibus fuit admirationi; excelſa ſtatura homines ſub brachio excepiſſe traditur. calceus eius quatuor excellenti magnitudine hominum pedes facilè capiebat: Pueros quoque in ludum euntes ità vaſtitate illa membrorum territabat, vt niſi procul, & à tergo eum aſpicere non fuerint auſi. Hoc fortaſſe non ità facilè ſibi fidem apud homines inueniet, quòd fabulæ propinquum videri poſſit: ſed cur minùs æquo animo audiendum, quàm quòd olim in Creta inſula repertum ſit humanum caput inſtar dolij, & in terra India vixiſſe homines tam inſigniter auritos, vt aures ad pedes defluerent.

Ex Meiëri Annal. lib. x.

AN. 1303.

Mirum verò Tutorem eguiſſe, qui maritus iã erat, ſed videtur ſecum pugnare hic ſcriptor qui puerum vocet.

AGEBAT *tum Ioannes Florentij filius cum vxore apud Regem Eduardum in Anglia; ſed flagitantibus Hollandis ſtatim à cæde patris domum reuerſus eſt, déque conſilio Regis & Guidonis aui ſui datus eſt illi Tutor (nam ferè puer adhuc erat) Vulfardus à Borſalia Verienſis Toparcha, vir quidem ſtrenuus & fidelis, ſed Ioanni Hannonio non ſatis ad ſtomachum, ideò quòd cum Flandris fugeret exercere inimicitias. Igitur Hannonius, fretus fœdere Gallorum, ſummittit occultè percuſſores, & Vulfardum occidendum curat, profectúſq. mox in Hollandiam Tutelam Ioannis arripit, illóque tandem (vt frequens fama eſt) per venenum ſublato, Principatum inuadit, tamquam proximus hæres. Erat quippè matre natus Adelide Florentij amita.*

COMI-



20 Ioannes Hollandiæ

De Ioanne ſecundo.

CAPVT XXI.

CVM ſine liberis Ioannes huius nominis primus fato ceſſiſſet, Hollandiæ Comitatus ad Ioannem Hannoniæ Principem deuoluitur. Hic fratrem ſuum Guidonem Traiectenſium Antiſtitem creatum tanto ſtudio defendit, vt ſemel profligatis, qui illum Epiſcopatu deijcere conabantur, nulli deinde arma mouerę ſint auſi. Per id tempus eques armatus in cœlo viſus, qui adhortatus dicitur clara voce populum ad arma capeſſenda. Stetit & mare eodem temporis ſpatio innumerabilibus coopertum nauibus. ad quod ſpectaculum cùm vndique ſeſe accolæ effudiſſent, repentè naues illæ omnes euanuêre. His tunc prodigijs præmonſtrata ſunt paulò pòſt apud Zelandos geſta bella. Flandrorum Comes Guido Dampetra (ita enim ſcriptum inuenio) intrà paucos menſes ter fruſtrà Ziriſæam obſedêre maxima ſuorum iactura. vltimo ferè tempore quo Gulielmus Ioannis Hollandiæ Principis filius bellum hoc ad exitum perduxit, 10. Auguſti anno 1304. tantis vtrinque viribus eſt in aciem deſcenſum, vt ad tria milia paſſuum (ſi veri ſunt Commentarij quos ſequimur) exauditus ſit bellantium fremitus. Cæſa ſunt in eo certamine x. milia Flandrorum, naues captæ magno numero. Hac victoria filij audita Ioannes Comes multùm lætatus paucis poſt diebus menſe Septembri anni 1304. Namurci Comes & toparcha Cluſæ Guidonis Comitis Flandriæ ex Iſabella Luceburgenſi filius, vita deceſsêre, ſepulti Valencenis nobili Hannoniæ opido.

Prodigia.

Ziriſæa obſeſſa. Ziriſæa, ſiue (vt alij vocant) Ciriacum mare, Zelandiæ opidum eſt adprimè concinnum. Hic plurimùm ſtudent parando ſali: nauium quoque gloria paucis cedunt. Flandrorum cædes.

Valencenæ.

Ex Annal.

Ex Annal. Meiëri lib. x.

IN exercitu Gallorum, qui ad Curtracum 11. Augusti 1302. die Benedicti sacro infelicissimè cum Flandris pugnarunt, Ioannes Comes Osteruandius filius natu maximus Comitis Hannoniæ & Hollandiæ secundam aciem duxit, & cæsus est. Huic cognomen absque pietate erat, quòd paulò antè in Zelandia, cùm caperet Baersdorpium, omnem ibi promiscuam ætatem absque misericordia occidisset. Ioannes verò Renessius Eques Zelandus, qui à Comite Hollandiæ in exilium pulsus fuerat, quadringentos Hollandos ad hanc pugnam adduxit.

AN. 1302. Meierus 11. Iulij Beka 11. Augusti.

Ioannes ab Arkel giganteæ vir staturæ vnà cum nepote suo Hugone Buttermanno Arkelio, ex acceptis hîc vulneribus obiit, sepultique sunt apud Axellam in Flandria. Pugnarunt contrà Gallos magna cum laude pro Flandris.

Sub initium Martij Ioannes et Guido (Guidonis à Dominico Petri Comitis Flandriæ ex Isabella Luceburgensi filij) adunato magno exercitu obsederunt Lessiniam, quam Arnulphus Aldenardensis id temporis tenebat in clientela Comitis Flandri. quem Arnulphum Ioannes Comes Hannoniæ per insidias interceptum paulò antè ceperat, opidum occupauerat, indéque hostili incursione Aldenardenses ac Gerardimontanos grauiter infestabat. Igitur Flandri hoc opidum obsidentes & oppugnantes vicinis Hannoniis detrimenta multa intulerunt. Ioannes autem Hannonius quamuis Hollandiæ accessu auctior & potentior factus esset, auxilióque & societate vteretur Francorum, non tamen committendum existimauit, vt manus cum Flandris consereret, obsessísque suppetias ferre tentaret. Sub exitum Martij, postquam nihil ab Hannonio veniret auxilij coacti sunt Lessinienses se dedere. Germanis, qui in præsidio erant & strenuè se defenderant, cum armis suis abire permissum. Opidum in prædam datum ac deinde concrematum, portis, turribúsque ac muris adeò nudatum, vt nullum esset periculum, ne Flandris vltrà posset nocere. De hoc opido longa fuerat disputatio, ac rixa inter Flandros & Hannonios, vtrius esset beneficium.

AN. 1302.

Ioannes Renessius aliíque propinqui & familiares Vulfardi occisi conatibus se Hannonij opposuerunt, Albertúmque Cæsarem, ad quem Hollandiam dicebant deuolutam sollicitabant, sed Hannonius nixus Gallorum fauore superior fuit, Renessiúmque cum socius multauit exilio, qui tum in Flandriam confugerunt, bellúmque Zelandiæ inferendum magnoperè suaserunt, anno 1303. igitur quia Zelandia beneficium erat Comitum Flandriæ, iuxtáque Leges & consuetudines eius prouinciæ, quoties absque sobole moriebatur beneficiarius, deuoluebatur ditio ad superiorem, cuius erat beneficium. Guido Comes Flandriæ, antequam à Gallis caperetur, Zelandiæ Principatum ad se iure ac more maiorum deuolutum dicebat, illúmque filio suo Guidoni præstantiss. iuueni donauit, armis quidem sibi vindicandum. Hæc præter veteres simultates regnandíque auaritiam noua caussa erat belli Zelandici, auxítque ea res indignationem Regi Philippo Pulchro, quòd tantos sibi sumserant Flandri animos, vt se ceu contemto (quando cum illis ipse bellum maximum gereret) ausi sint diuersas etiam suscipere expeditiones. Nec defuerunt, qui Guidonis consilium vehementer reprehenderent, quum opera eius maximè egeret Flandria contrà Gallos, in tanta præsertim paucitate ducum. sed litorales Flandri ac piscatores, quibus perpetua erat cum Zelandis Hollandísque dimicatio, atque excubiæ omni tempore habendæ in litore, maximam Guidoni ostenderunt

AN. 1303.

derunt animorum alacritatem pollicentes breuissimo tempore Zelandiam posse domari.

Ad x. *circiter Kal. Maias adunata multarum nauium classe Ioannes Comes Namurci & Clusæ, & Guido Dominus Rickoburgensis ex portu Brugensi soluunt in paruam insulam, quæ Catsant seu Casolia nuncupatur. Inter hæc Gulielmus filius Comitis Hannoniæ per Calesiam nauigat in Hollandiam. Nam quod Propancij tum fæderati essent Flandris, hoc erat quòd per Brabantiam negatus illi esset transitus. In Casolia dum omnia parantur quæ bello forent necessaria, ventúsque propitius à nostris exspectatur, adest de improuiso Gulielmus (de quo diximus) æstu ventóque prospero delatus cum Hannonio, Hollando, Zelando, Frisióque milite, nostrósque semiparatos adoritur, nostri ex re consilium capiunt, resistúntque hostibus quantum fieri potuit. victor tamen fuit Gulielmus, interfectísque aliquot Flandris mox in Hollandiam recurrit. Hæc in Catsant quod sonat, ni fallor, Cattorum arena, quippe Catsant & Cadz toparchia nuper cum Cortena opido submersa, simul Cadsberch in Flandris & Cadswick in Batauis à Cattis nomina populis mansisse videntur, quorum partem Cattorum, Batauos nomine, in insulas Rheni extremámque oram Belgicæ demigrasse refert Tacitus. Eo detrimento nostri valdè irritati, nihil cunctantur hostem celeriter insequi, Guido fremens frendénsque cum sua classe præcessit, eámque ad* VII. *Kal. Maias ad Veram Valachriæ opidum appulit. Opidani conspectis filiis & propinquis Vulfardi (dolo, vt suprà commemorauimus, interfecti) Prætorem suum datum ab Hannonio interfecerunt, ac Guidonem cum progenie Vulfardi mox admiserunt. Vera siue etiam Canphera nunc non magnum sed pulchrum atque amœnum est opidum cum templo inprimis visendo, Arcéque splendidá ac hortis amœniss. illius toparchæ. Hîc Guido dum paulum quiescit cum suis ac cibum sumit, certior mox fit de aduentu hostium. Prœlium igitur statim conseritur super aggerem quendam, atque in vtroque aggeris latere durum atque acre, sed terga vertere tandem coacti sunt hostes, desideraueruntque ex suis plurimos. Fugit Gulielmus dux eorum ad Vicum Aremudam, quò nostri ferociter insequuti rursus cum hostico exercitu manus conserunt, cadunt vtrínque multi, sed ex hostibus longè plures quàm ex nostris, nec sustinere nostros diu valent. Itáque bis die vno fusus fugatusque Gulielmus fugit ad opidum Zirixeam situm in Scaldia, quæ vna est ex Insulis Zelandicis. Pugnatum item super alium aggerem non ità procul Vera à solis Brugensibus, qui Guidonem sequebantur, cum quadam hostium manu, vbi victores Brugenses paucos ex suis amiserunt. Nam de aggere quos hostes in aquam deturbarant, viuos adhuc multos finita pugna extraxerunt. Ex hostibus autem quotquot in aquis viderunt luctantes, non modò non extraxerunt, sed altius etiam demerserunt, adeò magno & crudeli odio duo isti vicini populi inter se grassati sunt, quos amicos potius ac fratres esse oportuit. Ioannes Namurcius his conflictibus non interfuit, quod multùm dolebat, remotius enim atque altius in mari eius classis erat: nec terram tenere potuit tam breui tempore. Guido secutus Gulielmum, in opido eum Zirixea obsedit per spatium temporis satis longum, arcubus, fundis, aliisque instrumentis impigrè oppugnans, sed capere non valuit. quin Gulielmus facta viriliter eruptione mille & quingentos ex Flandris occidit, vt tradit Ioan. Beka Hollandiæ scriptor. Tunc Guido Middelburgum primarium Valachriæ opidum aggressus, eo intra dies octo aut* X. *potitus est. Capto Medieburgo (quod nunc opulentum & pulchrum est opidum cum*

Catsant, seu Casolia insula.

dum cum insigni cœnobio Præmonstratensium Monachorum) pactæ sunt induciæ ab Kal. circiter Iunias adúsque ferè Aprilem insequentis anni, excepta Hannonia, adiecta conditione, ne fortiùs interim Zirixea, quàm tunc esset, muniretur, manente in Guidonis fide Walachria, in qua excepto Ioan. Cruningo proceres reliqui omnes Guidoni dicto erant audientes. Walachriam à Walis, id est, Gallis nomen inuenisse puto. Tunc Guido in Flandriam, Gulielmus ad patrem Ioannem se contulit Hagam-Comitis Hollandiæ, vbi Ioannes ob exactam ætatem, tradita omni administratione filio in Hannoniam se recepit. Sub harum initium induciarum Philippus filius Guidonis venit cum vxore in Flandriam, etc. Induciæ.

Sub Kal. Febr. Guido Namurcius, quas habebat in Hollandia inducias cum Comite Hannoniæ malo vsus consilio reuocauit, quæ tamen (vt dictum erat) per duos menses post reuocationem tenuerunt, quibus in duobus mensibus vterque se ad bellum instruxit. Sub medium Martium paratus Guido traiecit cum suis copiis in Walachriam, cuius tum penes eum erat imperium, iunctáque sibi progenie ac familia Vulfardi Borsaliensis, de quo suprà memini, ad Hollandiam subigendam omnibus se modis accinxit. In Walachria mense Martio, vt primum exierat Induciarum dies, Guido Namurcius omnia parat, quæ ad obsidendam iterum Zirixeam necessaria esse videbantur, contrà cuius conatus duo conscripti exercitus ab Hannoniis & Hollandis. Guido Episcopus Traiect. frater Comitis Hannoniÿ alterum, alterum verò ductabat Gulielmus Hannoniÿ filius. Hi postquam copias coniunxerant, Zirixeam versus mouent, vt cum Flandris acie confligant. sed dum Duuelandiam præterlegunt illámque depopulari tentant, à Florentio Borsalio Vulfardi cognato ac Ioanne Rinesßio, qui illic cum Borsalis (qui Exules vocabantur Zelandiæ) & Flandris præsidio erant, acerrimè sunt excepti, pugnáque nauali de nocte obruti cæsi atq. mirum in modum per tenebras obtriti, adeò vt ad tria millia partim occisi, partim submersi tradantur. Ex Hannoniis Hollandis & Frisiis totus ferè exercitus constabat, sed Frisÿ reliquis se fortius ac prudentius gerebant, naues aliæque eorum res relictæ nostrorum fuêre præda. Captus hîc Guido XL. in ordine Episcopus, missúsq. à Florentio (Borsalo) ad Namurcium, qui mox eum misit ad patrem suum Guidonem agentem apud Vindaliam in Flandria. Erat enim nepos Principis Guidonis ex fratre Ioan. Auennio, vir nimirum (si sacerdotibus bellare liceret) fortis & animosus; Gulielmúmq. Bertoldum Episcopum prædecessorem suum Brabantici sanguinis virum nobilem, bello curauerat ante biennium interfici. Fratres illi erant, præter Hannonium, Ioan. Cameracensium, ac Bossardus Mediomatricum Episcopi, item Princeps Moriennæ Florentius. Guido autem noster Princeps eius patruus. Ceciderunt autem ea pugna viri insignes Gulielmus Hornus Præfectus Dominici Traiect. Nicolaus Parsinius, Theodoricus ab Harlem, Theodoricus Zulanus, & Swederus à BeverWerdo. Et hac quidem victoria tam clara potiti sunt Borsalÿ in Duuelandia (hoc est, terra columbarum) cum Flandris haud ita multis & incolis eius insulæ 13. Kal. April. anno 1303. inconsulto & inscio Imperatore suo Namurcio, qui ad Zirixeam adhuc erat occupatus. Hannonius uehementer consternatus ex Walachria vix saluus euasit, aduolauítque in Hannoniam ad patrem tum ægrotantem, cui anxius & querulus fortunas suas exposuit. Namurcius verò his omnibus cognitis rebus ad 12. Kal. April. quod Sabbatum erat Palmarum. Zirixeam cinxit obsidione, quam egregiè munitam fortiter defendebat Vitus Hamsteda filius nothus Comitis Florentÿ, à suis (vt dixi suprà) occisi. Flandri arcubus & fundis modísque aliis tota hebdomade vsque ad Pascha frustra hîc laborauerunt. AN. 1303.

AN. 1304. Pascha XXIX. Martij.

Cum primùm certus nuncius Traiectum allatus est de capto & abducto Episcopo, mox tota ciuitas in motu erat, vt fieri solet in populo incondito discordíque qui caret rectore. Dissidebant adhæc grauiter inter se Nobiles de Reip. per Episcopi absentiam administratione. Gerardus Bructerus, Iacobus Lichtenbergius, & Vernerus Elisabethæ claræ feminæ filius ab aduersa factione interfecti sunt. Frater verò Lichtenbergij Gulielmus Rodemburgius cum filio in vincula coniectus.

Inter hæc Guido Namurcius die Mercurij post festum Paschæ (quod incidit in 29. Martij) videns se irrito labore terere tempus Zirixeæ reliquit obsidium atque cum toto exercitu Mosam amnem traiecit, omnémque Borealem Hollandiam cum opidis, municipiis, pagis in suam potestatem redegit, excepto solo Harlemo, quod facere deditionem constanter renuit, acceptósque obsides ex Leida, Delphis, locísque aliis Gandauum misit, fideli cumprimis Ioannis Renessij in his opera vsus. Leidam inter alia Hollandiæ insigne ac vetus opidum fuisse prædicant; astruúntque ij, qui Geographiam scrutantur, Lugodunum esse Batauorum, de quo celebris mentio fit apud Ptolomæum, quod & Antonini Itinerarium, Lugdunum appellare videtur Caput Germaniarum, ab quo per Albiana Castra & Traiectum iter facit Argentoratum. Traiecti non pauci erant, qui Episcopum Guidonem oderant, ea caussa erat cur se libentius dederent, Ioannémque Renessium Præfectum à Namurcio acciperent.

Eodem tempore Meridianam Hollandiam Ioann. Dux Brabantiæ inuadit, omniúmque opidorum adeptus est deditionem præter Dordracum. Eam ciuitatem decem dies obsidet, maiorémque eius partem per ignita missilia incendit. Tandem Dordracenses duce Nicolao à Puteo, forti ac nobili viro, magnis viribus erumpunt ac retrocedere singulari virtute Brabantos cogunt, totáque Zuytbollandia expellunt. Nec his contenti vsque ad Buscumducis insectantur, ferro incendióque omnia deformantes, adeò vt Busco etiam Ducis firmo opido ignem iniicerent per inflammatas sagittas. Reuersi dehinc cum diuite præda per Fanum Gertrudis, vnde & Brabantos eiecerunt. Posthæc Nicolaus ille Puteanus rebus secundis elatus maximos Hollandis suis fecit animos, mouénsque cum illis Iselmundam cum Flandris quoque feliciter dimicauit, qui (si verus est calculator Ioannes Beka) cecîdit hic duo Flamingorum milia, vbi & Namurcium tanto fuisse narrat in discrimine, vt vix saluus euaderet, qui paullò pòst magna manu profectus Traiectum res Fori Iudicialis inibi ordinauit, dedítque illis Magistratum quem Sculteta nuncupant, vt ius diceret ciuitati, haud sat scio an id veterum more, nempe Diætetas & Zetetas Arbitros & Magistratus Athenienſium fuisse legimus eos, qui soluere debitores creditoribus cogerent. Ad eam imitationem Sculteta & Scouteta dici videntur, atque ita scriptum inuenio in Memoriis paullò remotioribus, quamuis hodie & Scultetus scribatur, Scult enim & Scot debitum sonat.

Traiectum clara & vetus Episcopalis est Ciuitas Antonino memorata, ità dicta, quòd hîc esset traiectus veteris Rheni. Apud Traiectum autem Mosæ sedes aliquando fuit Episcoporum Tungricorum quæ iam est Leodij. Hîc Namurcius ordinatis, quæ ad ciuitatis politiam pertinebant, diligenter quoque egit cum Ecclesia, vt amoto Guidone Episcopo capto statueretur loco illius Episcopus Gulielmus Iuliacus egregius bellator, prælio Pabulensi, anno 1304.15.Kal.Sep. desideratus, filius

Gulielmi

Gulielmi Iuliaci Aquisgrani occisi ex tertia Guidonis Comitis Flandriæ & Mathildis Betunensis filia puto Ioanna. tales enim Ecclesiis obtrudebantur. Posthac Vitus Hamsteda vir fortißimus ex Zirixea Zantfordiam nauigat, contrahítque quantas potest copias ex Frisiis, Kenemaris, Waterlandis, Zuttandrísque, quibus & Harlemicũm accesßit præsidium. Hoc Vitus instructus exercitu obuiam habet Flandrorum numerum non procul Harlemo (Hillegòn loco nomen) hîc acie decertatum, vtrimque quidem fortißimè, sed Flandros omnes ad vnum prostratos & occisos Hollandi tradunt, collectísque in vnum mortuorum corporibus loco datum nomen in perpetuam memoriam Manpat, id est, Virorum semita, aut vestigium. Manpat. *Dehinc consurgit apud Delfos quidam Ockenbergius. Is ex Viti nunciata victoria animum sumens Flamingos omnes aut cecidit aut opido fugauit, donec alia rursus pars Flandrorum Delfos inuaderet ac teneret, in quos rursus Vitus & Ockenbergius mouentes victores fuère, Via, qua etiam nunc Flaminga vocatur, occisi* Via Flaminga. *ad quingentos, cæteri in foßis opidi dum fugiunt submersi, sarcinis armorum nimis grauati. Ità tandem Northollandia per Vitum, pérque Puteanum Zuythollandia omnes Flandri ac Propantij expulsi. Namurcius relicto Traiecto Zirixeam redit, ac tertiò iam opidum illud premit obsidione, ballistis, apris, Cattis, aliísque machinis vehementißimè oppugnans. Apud Sconhouiam Præfectus Arcis à Flandris constitutus Nicolaus Cattus ex Northeuelandia nunc submersa, Eques strenuus captus à ciuibus missúsque ad Vitum, qui Flagellum (vt aiebant) erat Flamingorum. Vitus raptim profectus Sconhouiam, obsedit Arcem, adeóque Magenis (inquit Beka) fatigauit obsessos, vt vitam à Vito pacti, deditionem facerent.* Vitus Amsteda *Magenas, nisi fallor, vocat Ballistas maiores, quibus lapides pondo 120. detorquebantur. Vitus vbi acceptos in potestatem obsessos in custodiam condidisset, Zirixeam est reuersus. Guido ad plagam Aquilonarum opidi Magenas duos, in meridie verò vnam constituit, quibus non absque maximo opidi detrimento prægrandes iaculabatur lapides. At contra opidani impigrè agentes oppositas habebant suas tres Ballistas, grandes ac validas nimis, quibus egregiè nostris resistebant, adeò vt eosdẽ nonnunquam lapides, qui à nostris erant iacti, in auctores remitterent. Postquam autem aliquantisper ea esset continuata vtrimq; iaculatio, nostri fossas opidi straminibus, stipulis, palis, aliáque materia repleuerunt, vt scalis admotis in muros euaderent opidúmque caperent, quod quidẽ quamquam essent aggreßi perficere tamen non potuerunt. Nam vitus suos intus, Frisios præcipuè, adeò animauit, vt incredibile dictu sit quantam præstiterint virtutem, nihil graue, nihil difficile, nihil arduum illis fuit, mulieribus, quæ & fortiter se gerebant, quicquid viris foret vsui ad murum suppeditantibus, ignémq. qui à nostris sæpè per mißilia tectis iniiciebatur tam viriliter exstinguentibus, vt ciuitati magna pars fuerint salutis. Struebant & nostri aliud grande machinamentum, quod Cattum appellabant, illúdque ab Aquilone rotis suppositis ad murum admouerunt, tanta altitudine vt muros superaret, atque ex eo quicquid in opido ageretur nostri prospicerent, istúdque mirum in modum obsessos vrgebat. Turrim fuisse puto motoriam, ex qua sagittis contísque & saxis mißilibus hostes grauißimè impetebant, ita vt negotium illis prægrande facesserent. Nec eo tamen segniores prælium capessebant, sed fundis, iaculis, ballistis omníq. vi armorum ità se defenderunt, vt Flandros tandem à muro turríque illa propellerent, postquam mille circiter & octingentos occidissent, tantáque fortitudine ex opido eruperunt, vt palos ab hostibus immissos ex foßis suis cum reliqua materia extraherent. Erat quidem faber ferrarius,*

qui per sagittas quas faceret, pollicitus est se Cattum Flandrorum crematurum. Nec fefellit ingenium. Nam paulò post tanto nimbo ardentium sagittarum machina illa offusa est, vt nequaquam ab incendio posset à nostris seruari. Romani olim tales turres crudis coriis ac centonibus communiri curabant aduersus incendia. Hîc autem earum rerum vsu puto Flandros caruisse. tam magno atque horrendo igni hæc turris conflagrauit, vt vsque ab Vlardinga, quæ ad mare est, cerneretur incendium, putaretúrque esse opidum captum atque incensum. Significabant autem hæc omnia Zirixeani Gulielmo Comiti qui fugerat in Hannoniam, auxilium ab eo supplices petentes. Sub finem Aprilis hæc gesta sunt.

Sub Kal. Aug. quatuor exercitus stabant parati ad dimicationem, duo terrâ circa Tornacum, & alij duo mari non procul Zirixea, quam adhuc premebat obsidione Guido. Gulielmus Hollandus patre Ioanne ægrotante classem quam potuit maximam instruxerat milite Gallo Frisio, Hollando, Hannonio. Adfuit Reinerius Grimoaldus (alij ab Anna habent) Genuensis celebris Nauarchus cum ingenti classe ex mari Mediterraneo per tantum maris circuitum à Gallo missus. In consultatione conuenit inter nostros duces, ne vllo modo committeret Guido, vt prælio nauali cum hoste confligeret aperto in mari, se classémque suam circum Zirixeam contineret continuans obsidium, quod si vel terra vel mari (quod vix illis possibile erat) tentarent ipsum hostes inuadere ac soluere obsidionem, tunc demum esse tempus se defendendi ac dimicandi. Eo confirmato consilio Ioan. Namurcaus ad Theani Comitem Philippum filium Comitis Guidonis ex priore thoro natu minimum accersitur, vbi maiori vsui quàm apud Guidonem futurus esse videretur. Orauit Guidonem crebris literis Traiecto missis Ioan. Renessius, ne vnquam in animum induceret rem dubiæ committere aleæ, ac cum Nauarcho toto orbe nominatissimo de rei summa decernere: Rem perbono adhuc esse loco, ideò quòd si terra congrediatur haberemus militem longè validiorem, numeróque maiorem, tantummodo esse pernecessarium à mari abstinere, donec ab ipso fortè hoste prior impeteretur. Renessius enim rerum maritimarum multam habebat peritiam, illíque maior pars ciuium Traiectens. quibus odio erat Episcopus, libenter parebant. Interea Reinerius, Hollandúsque cum eo indies propius accedebant ad nostros, Guidonémque ad prælium prouocabant nauale. Initio Guido nihil mouebat, quietum se, vt conuenerat in consilio, tenuit, qua in re si perseuerasset, nihil illi hostes potuissent nocere. At moram improperante hoste ignauiámque interpretante incessit grandis cupido generosum iuuenem cum hoste dimicandi. Erat dubio procul inanis gloriæ nimis auidus, nimísque affectabat humanam laudem, quæ secutura erat, si tantum virum tam illustrem rei maritimæ Imperatorem vicisset. Die x. Aug. D. Laurentio celebri anno 1304. posthabitis tam publicis quàm priuatis consiliis fretus fiducia virium, relicto ad obsidionem aliquanto peditatu ipse cum toto exercitu & classe æstu surgente & aduesperascente die ad hostes contendit. Hîc prælium consertum viribus adeò pertinacibus, vt vix tandem spississimæ noctis tenebræ pugnantes dirimerent. Hîc fragor, clangor, sonitus, strepitus, clamor, fremitúsque tantum inualuisse narratur, vt per tria nostratia milia exaudiretur. Multi vtrímque ea vespera ceciderunt, multi grauiter vulnerati fuère, dubiáque fuit victoria, quamquam videbantur Flandri superiores, quòd quaternas maximas naues quas turritas vocabant, de hostibus cepissent, occisis aut submersis, qui in illis erant omnibus. Nox itaque pugnam diremit, paulúmque temporis quieti ac religandis vulneribus vtrínque datum, refluentéque æstu ambæ classes in cœno hæserunt

AN. 1303.

runt marino, modico interuallo separatæ. Mane illucente die ac rursus stagnante æstu, hostium quidem naues simul stabant ferreis inuicem connexæ catenis, sed nostræ magnæ naues disiunctæ ac separatæ fluitare cœperunt, funibus illis magnis, quibus fuerant conligatæ, per hostium dolum de nocte resciβis, quæ res cladem nostris attulit. Creditum id factum occultè à nonnullis Zelandis, qui Guidoni metu magis quàm amore adhærebant, ad quos quidem & voces de nocte auditæ Hollandorum: Redite, Redite nobiles Zelandi ad verum vestrum Dominum, cogitate de patria liberanda. Ad cuius rei confirmationem cœperunt Zelandi illi (non Borsaliani) primum omnium facere fugam. quod exemplum secuti Flandri Zelandíque alij magis fidi, quum in maximo discrimine incassum se nisuros viderent, receptis quascumque poterant ex maioribus dispersis nauibus in Flandriam fugerunt. Guido autem quamquam à toparcha Axellano maturo ac prudente viro hortaretur, vt fuga salutem quæreret, obstinatus refractúsque adeò fuit, vt inflatus quadam superbia fugere detrectaret. sed mox naues bellatoréſque, quamquam à compluribus desertus quos potuit adunauit, magnóque animo prælium instaurauit, donec paucis cadentibus, sed omnibus ferè per minores naues fugientibus, viuus veniret in Amiralli potestatem vnà cum Domino illo Axellensi, quos Reinerius per Calesiam misit ad Regem apud quem tantisper captiui fuère, donec pro Episcopo Guidone captiuo in Flandria commutarentur. Est in historiis Hollandicis, initio pugnæ quandam miræ magnitudinis nauem à Flandris fomento lardi picísque & sulphuris apparatam, incensam, missámque in hostium classem, vt in illam incendium inferret, sed per miraculum in diuersum reflante vento repulsam reuersámque in nostrorum classem; suísque fabricatoribus magnam intulisse stragem, adeóque illo miraculo hostes fuisse animatos, vt certam sibi victoriam promittentes viginti quatuor totas horas cum nostris horrendum in modum continuarent prælium, donec euaderent victores. Sed nostri de illa naui nihil prorsus meminerunt scriptores. Addunt & aliud miraculum, apud Egmondam per totum pugnæ tempus visam in aëre crucem purpureo colore. Periisse decem Flamingorum milia: captas naues centum suprà mille cum nonaginta pretiosis papilionibus. Noster Scriptor Minorita æqualis illius temporis, non nisi mille circiter ex nostris per duos illos dies cecidisse refert: reliquos omnes fugisse perspecta ducis imprudentia ac peruicatia. Nec hostibus incruentam fuisse victoriam, qui priori die multò plures quàm nostri perdiderint. ecce quàm diuersi abeant Scriptores! Peditatus autem quem in obsidio relictum memorauimus, fugit in Scaudiam, dictam à nonnullis Scaldiam, à fluuio Scaldæ, qui eam insulam circumluere solebat. Et quia bona pars Zelandi erant nactis per amicos nauibus vnà cum Flandris, quotquot portare naues possent transmiserunt in Flandriam, reliqui ad tria circiter milia se dediderunt commutatíque sunt pro Hollandis qui in Flandria captiui detinebantur. Ioan. Renesſius fugit Traiecto, ne veniret in hostium suorum aduentantium potestatem, sed Leccam fluuium cum suis per scapham dum transire celeriter contendit, onere multitudinis in profundum nauicula deprimitur, exstinctúsque Renesβius posteà graui cum planctu à suis sepelitur. Ita Flandri tota Hollandia pulsi, & Guido peruicaciæ & inutilis pudoris sui pœnas dedit. Potuerat enim fugere. quod & Cæsarem olim Dictatorem, quum in Britannia bellum administraret, fecisse legimus, ne in Barbarorum incideret manus.

Obiit hoc anno mense Septembri, Ioan. II. Comes Hannoniæ & Hollandiæ. Obiit Philippa eius vxor Aprili proximè insequenti, ambo Valentianis sepulti. AN. 1304.

Ex Annal. Meiëri lib. XI.

Hannoniæ Etymon.

HANNONIA *ab Hayna seu Hagna fluuio (vti ego accepi) dicta est, Hainoia & Hainoiensis scribi solitum, sed nunc magis Hannonia Haynegau, id est, Haynæ regio aut tractus, sicut Bonnegau, pro Comitatu Bononiæ nostræ.*

Ex Annal. Meiëri lib. XI.

AN. 1305. PACE, *quæ apud Achiacum super fluuium Oringiam arbitrio Regis Philippi* V. *Iunij. 1305. composita fuit cum Roberto Betuniensi Comite Flandriæ captiuo, fœderati vtrarúmque partium comprehendebantur, excepto Comite Hollandiæ quantum attinet ad Hollandiam & Zelandiam. Ei subscripsère Robertus Comes Flandriæ antequam custodia dimitteretur, Henricus Luceburgensis futurus Imp. Ioan. Dux Brabantiæ, Ioan. Flandrensis, Gulielmus Flandrensis, & Adela eius vxor Domina Nigellana ac Procomes eadem castri Diny, & arbitri scilicet Ludouicus Eburonicum Comes Regis frater. Robertus Dux Burgundiæ, Amedeus Comes Sabaudiæ, & Ioan. Comes Dimduni genere, Ioan. Gauerus toparcha sternacius, & Gerardus toparcha ad Zotteghen, Legatíque trium membrorum Flandriæ cum pluribus Nobilibus, alij enim duo arbitri scilicet, Ioan. Cuicus & Gerardus Maurus Præfectus Castri Gandensis perspecto Gallorum astu, colloquio abstinuerunt, tractandíque negotio se abdicarunt. Per hoc fœdus iniquitatis (ita enim nominabant) Guido Episcopus Traiect. cum reliquis captis in Flandria dimissus, tum & Guido Namurcius cum aliis in Flandriam redit.*

AN. 1306. *Renatum bellum Hollandicum ob fidem de Insulis Zelandicis Roberto Flandriæ Comiti non præstitam, atque ob portiones quasdam hæreditarias in Hollandia & Frisia quas post mortem Ioannis fratris Florentij Comitis deberi sibi Robertus affirmabat. Eo bello socius Flandris fuit Ioan. Dux Brabantiæ sed priusquam sanguis funderetur, deprecatione quorundam bonorum induciæ sunt factæ, & arbitris submissa est controuersia. Arbitri fuère Ioan. Comes Namurcius & Guido eius frater electi per Robertum, altera ex parte Guido Episcopus Traiect. & Galterus Castellionicus Portiacensis Comes, idémque Magister Equitum Gallorum, quid autem isti tandem pronunciauerint nusquam inuenio.*

AN. 1307. Ianuar. *Mense Ianuario celebratum maximo apparatu matrimonium Eduardi Regis Iunioris Angliæ cum filia Regis Philippi Pulchri Isabella, non absque magno dolore Isabellæ filiæ Guidonis Comitis Flandriæ, quæ & Eduardo erat pacta. Eas ad nuptias conuenère Bononiæ (quæ nomine dicta est antiquo Gessoriacum Morinorum nauale) Wilhelmus Comes Hannoniæ cum Ioanne fratre & omni ferè Gallica Nobilitate.*

Epiphania Domini. AN. 1308. *Gulielmus & Ioannes Comites Hannoniæ interfuère Coronationi Henrici Comitis Luceburgens. Cæsaris hoc nomine* VII. *quæ peracta fuit Aquisgrani ad S. Epiphaniorum diem, cuius stemma hîc adducam (quod Conrardus Vecerius inueniri posse negat.) Henricus Luceburgens. pater Augusti frater erat Isabellæ vxoris Guidonis Comitis Flandriæ, & Philippæ vxoris Ioan.* II. *Comitis Hannoniæ. vnde bella progenies, mater Augusti Beatrix filia Ioan.* I. *Comitis Hannoniæ Guidonem patruum habuit, fratres enim erant Ioan. & Guido, & Balduinus ex matre Margareta Comite Flandriæ & Hannoniæ, porrò vxor Augusti Margareta filia Ioan. Ducis Brabantiæ Guidonem auum ciebat maternum, erat enim Augusta orta ex Margareta filia Guidonis, quam habuit in matrimonio Brabantus. Comes item Sabaudiæ affinitate Augustum tangebat per Mariam vxorem, quæ soror erat Augustæ & filia Ducis Brabantiæ, Augustus item Guidonem dicebat patruum, eo quòd*

Isabellam

Isabellam amitã illius Guido habuisset in matrimonio. Cecidit autem Henricus patrem Augusti cum fratribus Valerano ac Balduino pugna illa Voruncana (5. Iuny 1288.) duo enim erant Augusti fratres Valeranus Luceburgensis et Balduinus Luceburg. Treuirorum Episcopus, qui obiit an. 1354. Auus paternus Augusti Henricus erat Luceburgens. & Rochensis in Arduenna cognomine Blondellus. Auia materna Henrici Adelheidis filia Florentij Comitis Hollandiæ. Reliquit autem Henricus VII. *liberos Ioannem & Mariam Luceburgẽses, ex quibus Ioan. iure vxorio Isabellæ sororis Regis Vinceslai, Rex fuit Bohemiæ, vnde orti Carolus* IV. *Rex, & Imper. I. Vinceslaus Dux Brabantiæ & Ioan. Com. Lucenburg. Maria Luceburg. nupta fuit Carolo Pulchro Regi Franciæ, sed à partu statim cum infante suo obiit. Ioan. Lucebur. Henrici filius Rex Bohemiæ prælio Kersiacensi occubuit anno 1346. 26. August. sepultus Luceburgi Cuius filia Bona Luceburg. vxor erat Regis Ioan. anno 1332. mater Philippi cognomine Audacis Ducis Burgundiæ, Comitis Flandriæ & trium fratrum eius Caroli Regis Ludouici Andegauensis, Ioannis Ducis Biturigum, & Bonæ, Isabellæ, Mariæ, Ioannæ.*

AN. 1310.

Mense Iulio Robertus Flandriæ Comes mouit contra Gulielmum consanguineum suum Comitem Hannoniæ & Hollandiæ. Iam enim induciarum tempus finitum erat. Hannonius nullo modo committendum sibi ratus, vt cum Flandris acie decertaret, per Ioannem Namurcium ac Gerardum à Zotteghem tentare cæpit, si quam viam ad pacificandum cum Roberto posset inuenire. Indicto igitur tempore de discordia componenda pax tandem conuenit his conditionibus, vt insulas Zelandiæ in fide & clientela Comitum Flandriæ poßideret, dummodo tamen Guidoni Flandrensi fratri suo tantum aßignaret annui reditus, quãtum eæ insulæ valerent, vt omni Hannonius renunciaret iure, quòd in IV. *Officia ac Wasiam se indicabat habere; vt domum reciperet quotquot ex Zelandia per omne tempus belli pulsi essent propter partes Flandricas, illísq. aut eorum hæredibus bona omnia fideliter restituenda curaret, quæ vel Fisco essent adiecta, vel aliter ablata. His de rebus Robertus obsides ab illo accepit Namurcium & Zotteghemium cum tribus aliis Nobilibus locupletibus ex Hannonia, pacta conditione, vt si pacem hanc Hannonius non seruasset, bonis omnibus quæ dicti quinq. obsides in Flandria poßidebant, extemplo manus iniiceret, sibíq. in perpetuum retineret, quæ quidem bona et reditus ad 25000. nummûm æstimata sunt. His ita perfectis venit Hannonius inermis ad Robertum in castra nostra cum Nobili comitatu, flexóque altero genu fidem ac iuramentum illi præstitit de Valachris omnibúsq. Zelandicus Insulis, reditúmque est vtrimque domum cum pace & gaudio. Tenuerat enim bellum* LXX *amplius per interualla annos. Verumtamen neque hæc Pax vltrà quinquennium durare potuit.*

AN. 1315. III. Augusti.

Absoluta enim apud Remos Ludouici Vtini Galliarum Regis coronatione, Gulielmus in gratiã Regis fœdus cum Flandris ictum frangit, terráque & mari Flandriam adoritur Hannonio, Gallico, Frisióque & Hollandico instructus milite Rupelmundã, Kieldracum, Brochtam, Zwindracum, totámq. Wasiam & Scaldis oram populabundus incendit, & dum propè Curtracũ Regi suppetias venisset, equo à Flandris excutitur, occisúsq. fuisset à Flandris, nisi singulari virtute Ioan. ab Arkel, Philippi ab Vasenare & Theodorici Brederodi fuisset discrimine exẽptus, Gallus nulla re gesta an. 1315. medio Aug. cũ detrimento domũ se recipit. Inter hæc facili negotio Hollandũ qui ad Calã (inquit Beka) initio castra fecit, nostri finibus suis expulerunt, magna enim celeritate non exspectato Flandrico exercitu omnẽ Scaldis exurẽs regionẽ in Zelandiã reuersus est.

Vide vt vbique ferè hostium fortunas eleuet, suorum virtutem extollat.

AN. 1322.

Statim à morte Comitis Roberti renata est discordia cum Gulielmo, sed composita est per Carolum Regem hunc in modum: Ceßit ac reddidit Ludouicus Niuernensis Comes Flandriæ Hollando in perpetuum Insulas omnes Zelandicas cum omni iure quod in illas se habere contenderat, remisit omnem sibi ab illo debitam eâ de caußâ pecuniam. Simul Gulielmus Flandro ceßit quicquid iuris se habere contendisset in Ditiones Alostanam

stanam

ſtanam, Waſiam, IV. *Officiorum, & Gerardi Montis. Adhac Auenna Cameracenſi renunciauit, permiſitq́; vt Ioannes Flandrenſis Creuecuria, Allueto cum tota præfectura agri Cameracenſis pro ſe ſuiſque hæredibus frueretur. Quantum autem ad Flobecam & Leſſiniam attinet, conuenit vt quæſtio decernatur: nec vnquam poſthac per bellum, ſed per ſex arbitros controuerſia iſta componatur, in quorum arbitrorum manibus eæ manebunt ditiones donec res ſit deciſa. Quod ſi qua fortè vltrà incidat diſcordia de Hollandia & Zelandia, arbitri Comitis Flandriæ conuenient apud Saeſtingiam, Hollandiæ autem arbitri apud Rinlandiam, non diſceſſuri ex his locis donec res ſint compoſitæ. Præterea pactum, vt bona Exulum Hollandiæ & Zelandiæ propter partes Flandri detenta & Fiſco illata cedant ad emolumentum Comitis Hollandiæ. Quod ſi qua fieri debeat reſtitutio, Flander eam fieri curabit per ſummam 30000. Librarum, quam Hollandus illi perſoluet. inſuper vt Valentianenſes, qui partes tenebant Flandri, poſthac ab illis abſtineant, vt quicumque exulatum mittatur propter conſpirationem in ſuum Principem neutro in Principatu ſit liber. Actum Lutetiæ media Quadrageſima anno 1322.*

AN. 1326. *Reductore Ioanne fratre Comitis Hannoniæ Iſabella Eduardi 2. Regis Angliæ vxor, cum paruo comitatu ex Zelandia rurſum traiecit in Angliam in fine Septemb. ſtatímque adnitente Nobilitate maritum Regem cepit, filiúmque Eduardum annorum* XIV. *à Cantuarienſi Epiſcopo coronandum curauit, 4. Kal. Febr.*

AN. 1327. *Rex Scotiæ Robertus Eduardo nouello Regi Angliæ bellum indixit cui arctum tum cum Hannonio fœdus erat, ob Philippam Gulielmi filiam eidem Regi deſponſam. Itaque ex Belgis pulchra admodum manus Equitum profecta in Angliam, quorum princeps erat Ioan. Hannoniæ Comitis frater. Scoti vbi ſe inferiores vident, pacem per matrimonium ordinauerunt. David Roberti Regis filius ſororem Eduardi Ioannam duxit vxorem.*

AN. 1328. IV. Kalen. Auguſt. *Philippus Valeſius mouet in Flandros qui à Nobilitate, & comite ſuo ſeceſſerant, & ad Caſletum caſtra metatur. In ea expeditione octauam aciem duxit Wilielmus Comes Hannoniæ cum 18. ſignis, cum turma item Equitum Ioannis eius fratris. Ex Hannonia nobilitate præcipui hîc erant filius eius Wilhelmus, Theodoricus Brederodius, Ioannes Arkel, Alardus Egmondanus, Philippus Vaſſenarius, Ioan. Hamſteda, Arnulphus Cruningius, Ioannes Pallanus, Gulielmus Duuenuordius. 10. Kal. Sept. coniurati ductore Zanncca impetum faciunt in Gallos, & peditatu Flandrorum cæſo ad Regis vſque tabernaculum peruenêre, ſed aduentu Com. Hannoniæ Rex periculo eximitur, & coniurati circumcluſi cæduntur ad ſex, plus minus milia, Gulielmus Hannonius equo erat deiectus in terram, ſex mox à ſuis ſublatus.*

AN. 1333. *Fremere rurſus cœpit bellum Hannonicum, quod in ipſa ſuo exortu extinctum fuiſſe videtur, & pax prius ordinata, quàm geſtum bellum. Per eam pacem Leſſiniam & Flobecam Comitibus Hannoniæ in perpetuum Ludouicus ceſſit, ſed retinuit tamen fidem et Homagia, quæcunq. in earum Præfecturarum clientelis, vel Flandris vel Aloſtanis debebantur, hoc adiecto, vt ſi quid petat in ius dominatibus Gulielmus Mortauienſis, in Curia poſtulet Comitis Flandriæ. Inſuper promiſit Hannonius numquam Leſſiniæ & Flobecæ alias quam tunc erant facturum ſe munitiones abſque conſenſu Comitis Flandriæ. Libras præterea mille annui prouentus ſe Flandro penſurum.*

Eodem anno poſtquam Comes Ludouicus emiſſet Mechliniam de Adulpho Epiſcopo Leodienſi & Reginaldo Comite Geldriæ, Brabantiæ Dux Ioannes obſtitit, quò minus Mechliniani in verba Ludouici iurarent, Wilhelmus Hannonius Ludouico militauit, & Brabanti vincunt. Poſt hæc Philippus Gallorum Rex per matrimonia bello terminum impoſuit filiæ Brabanti Margareta Ludouico Flandro trium annorum puero, Ioanna Wilhelmo Hollando, Maria Reginaldo Geldrio promiſſæ ſunt.

COMI-


21 Ioannes Hannoniæ.

De Gulielmo tertio.

CAPVT XXII.

Institutio Collegij Canonicorum D. Petri Middelburgensis.

Fame ac pestilentia diu vexata Hollãdia.

Flandri à Gallo victi.

Animaduersio in eum qui vaccam abduxerat alienam.

** Qui ob naturæ bonitatem triginta tribus annis, quibus præfuisse dicitur, omnibus carissimus vixerat, non potuit fieri, vt mortuus non desideraretur.*

SVRROGATVR in patris locum Gulielmus, qui cùm esset vir pietate & innocentia insigni, Boni cognomentum meruit. Middelburgi apud Zelandos* collegium Canonicorum D. Petri ab eo institutum reperio. Sub hoc tempus duobus maximis malis Hollandia biennium laborauit, fame & pestilentia. hæc latissimè vagata, ingentem hominum vim extinxit; illa tam inualuerat, vt super vetitos cibos inuenti sint, qui fame adacti pecudum more nascentia in campis gramina comederint. Anno octauo & vicesimo suprà millesimum & trecentesimum Philippus Gallorum Rex Gulielmi huius copijs adiutus, Flandrorum exercitum fudit fugauitque. Eodem anno Gulielmus Frisios classe adortus est. In Hannonia præfectum Suythollandiæ, qui rustici pinguiorem vaccam pascuis abduxerat, & suam reliquerat vltimo affecit supplicio. Tantus erat iustitiæ amator. Idem graui morbo laborans, cùm adesse sibi fatale tempus videret, accersitum ad se iuuenem filium hortatus est ad cultum veræ pietatis: precatus eundem, vt paci studeret, neque clerum oneraret exactionibus. Hæc ille pauca locutus, haud multò post animam efflauit. Ante hunc nullus vnquam Comes * maius reliquit sui desiderium.

COMI-


22 Guil. ielm. 3 Hanonię Cogn. Bonꝰ

De Gulielmo IV.

Cap. XXIII.

Gulielmi in Saracenos expeditio. Reditus Gulielmi in patriam

GVLIELMVS accepto à patre Comitatu, ſtatim cum delecta armatorum manu in Hiſpaniam tranſgreſſus, vt Regem aſſidua cum Turcis Saraceniſque bella gerentem auxilijs adiuuaret, pugnando obiectandoque ſe periculis in tantam breui claritudinem euaſit, vt Hiſpanis æquè ac militi ſuo gratiſſimus eſſet. Poſteà reuerſus in Hollandiam Traiectum oppugnare adortus, Nobilium (quos apud ſe habebat) rogatu, ciuibus has breues & dumtaxat paucorum menſium pacis redimendæ conditiones dedit, vt nudatis plantis adapertiſque capitibus egreſſi quingenti ad Comitis pedes humiliter proſtrati veniam poſcerent. quod cùm ita factum eſſet, mouit inde in Friſios, vbi dum *nimia cupiditate propagandi fines imperij incautius dimicat, ad Staueram occiditur.

Traiectenſes oppugnati quibus & venia data ſupplicibus.

Gulielmus in Friſia periit XXVI. Septem. 1345.

**Plerique hodiè Principes non hoc agunt, ſed luxu ſeſe & inertia dedunt.*

Ex Annal. Meiëri lib. XII.

IOANNES *Hannonius Eduardo* III. *Regi Angliæ, qui Galliam ſibi deberi aiebat aduerſus Gallos militauit anno 1339. & Guiſiam cremauit, quamuis in illa eſſet filia eius Ioanna Ludouico nupta Bleſenſi. Galli terram Simacenſem, quæ Ioannis Hannonij erat, diripiunt & incendunt. Cameracenſes item in Hannoniam incurrentes Aſperam & Monaſterium D. Vedaſti depopulantur. His rebus iritatus Hannoniæ Comes Gulielmus cum Ioanne Hannonio & Comite Falcobergenſi Aubentum in terra ſua aggreſſus ſpoliatum incendit. Adiunxerat & ad id bellum Ludouicum Cæſarem ſibi Eduardus, eſtq́ ab illo vicarius Imperij conſtitutus in conuentu Francofurdiæ anno 1338. quo nomine Hollandiam, Geldriam, Iuliacum, Agrippinam Coloniam, Brabantiam, Hannoniámque ſibi adiunxit. Sed Philippus Rex vafro vſus conſilio fœdus ſocietatémque hanc armorum interturbat. Erat Cæſari vxor Margareta Guilielmi* III. *Comitis Hannoniæ & Hollandiæ filia, ſoror quidem Philippæ Reginæ Angliæ, ſed filia eadem ſororis Regis Philippi, nempe Ioannæ Valeſiæ, quæ iam vidua Comite Gulielmo III. velum ſumpſerat religionis Fontanellæ in Cameracenſibus. Per hanc Margaretam Auguſtam atque Oratores pecuniám-*

pecuniámque ad eam missam perfecit Gallus, vt amicitiam quamuis simulatam cum Cæsare fabricaret, tum per totam Galliam Ludouicus magno honore Imper. Augustus, simul Margareta vxor Augusta appellata. LXXX. *milia aureorum dederat Anglus Cæsari, duplum daturus si contra Gallum pugnaturus descenderet, sed illum argenteæ Gallorum hastæ auerterunt, promittente Philippo Rege se pacem & concordiam perpetuam conciliaturum inter Papam & Cæsarem, quod quidem non modò non fecit, verùm etiam per omnem vitam clam operam dedit, ne vnquam Cæsar quo ictus erat fulmine à Pontifice liberaretur.*

AN. 1340.

Inter hæc Ioannes Normanniæ Dux Philippi Regis frater Hannoniam flammis & ruinis miserandum in modum fœdat, defensis tamen fortiter & seruatis Melbodio, Montaco, Querceto, & Trico, combusserant Normanni Fontanellam, sed Ioannes Dux incendiarios vltimis affecit pœnis, eò quòd Ioanna Valesia amita eius post obitum mariti diuinis omnino dicata rebus, maxima ibi esset Sacerdos. Obsedit quoque Normannus Thuinum Episcopi ad ripam Scaldis. Huic vt opido succurreret accessit Wilhelmus Com. Hannoniæ & Ioannes eius patruus cum omnibus viribus suis. adduxerat quoque Ioannes Arteuelda LX. *amplius milia Flandrorum, hi omnes ad dextram, in sinistra verò ripa fluminis Galli castra metati sunt. Dum hic sedetur Ostrouantium Galli, Cameracesium Hannonÿ populabundi percurrerunt. Flandri prælium poscebant, sed Dux Brabantiæ dissuasit. Galli etiam prouocati minimè sibi pugnandum esse indicabant. Discessum igitur nulla re gesta, opidum incendio deformatum & dirutum. Eduardus conuentum apud Vilfordium Brabantiæ agit. pactum ibi, vt Flandri, Brabanti, Hannonÿ perinde atque in vnum iam conflati corpus omnia concordibus animis communíque consilio agerent. Itaque paratis rebus omnibus Eduardus, Hannonius & Arteuelda* 13. *Tornaeum obsident sub Ferias Magdalenæ. Sielinium in melanthisio Comes Hannoniæ diripit et incendit, parte alia Ioan. Hannonius cum exiret pabulatum circa montem Xabulæ, vt Gallorum aliquos interciperet, sed à Leodiis Luceburganísque acerrimè est exceptus ac fusus. Inde quum Mortaniam frustra tentasset ad Eluonenses se conuertit, atq. eos quòd Hasnonem deuastassent capit & populatur, vnáque cum D. Amandi Monasterio incendit, simili furore Orchiacum, Landæ, Chellæ Marcianæ cum monasterio D. Rictrudis direptæ & incensæ. in fine autem Augusti Angli Hannoniíque ad Bouinas Gallos initio superarunt, instaurantibus autem fortiter certamen Comite Sabaudiæ & filio eius Ludouico vincunt Galli. Sed quis omnes pugnas & incursiones satis perscripserit? Inter hæc Philippus Rex vt cognouit, quanta obsessi Turnacenses premerentur angustia, nihil inexpertum reliquit, quod ad eorum liberationem pertinere arbitratus est. Sed quando armis experiundum non existimabat, subornat Ioannam Valesiam sororem suam (quæ cum bona opinione sanctimoniæ post viri Gulielmi* III. *Comitis Hannoniæ obitum sumpto velo castitatis apud Fontanellam in Cameraeensibus sacerdotio fungebatur) eandem Eduardi socrum atque cum magnis donis Gandauum mittit ad filiam suam Reginam, vti illa apud maritum Regem vel pacem vel saltem inducias impetret, multáque præterea Philippus munera alia aliis spargere, nihil pensi habere quæ quantáque pollicitaretur ac daret, dummodo tam copiosum támque inexpugnabilem exercitum dissolueret, Tornacésque quos vnicè amabat eximeret obsidione. Tantum igitur valebant Valesiæ preces tum apud filium Gulielmum Comitem, tum apud Philippam Reginam suam filiam, tantum preces & in-*

Iter vertit dixisset Sallust.

tercessio ipsius Reginæ apud maritum regem, tantum Regale numisma Philippi, vt compotes voti euaderent Galli impetratis ab Eduardo vnius anni inducius.

AN. 1342. *Secunda die Ianuarij terra mouit in Hollandia & eius vicinia.*

AN. 1345. *Gulielmus Comes Hannoniæ Hollandiæ & Zelandiæ Traiectenses duobus vicit prœliis, Traiectum obsedit ac redegit in potestatem, sed profectus mox contrà Frisios victus est ab illis iuxtà Staueram & interfectus die 26. Septembris, quam quidem mortem prædictam illi tradunt ab Comite Gelriæ Reginaldo, dum à sacris eum leuaret fontibus.*

Ioannam Gulielmi Hannonij Viduam Philippus Rex Venceslao Boemo collocauit Caroli Imperatoris fratri.

COMI-


23. Guilielmus 4. Hānoniæ

De Margareta. CAP. XXIV.

* Nullam enim prolem Gulielmus ex vxore sua Ioanna susceperat. Hæc Ioanna cæso à Frisijs marito suo (vt proximo Capite dictum est) rediit in Brabantiam. erat enim filia Ioannis Lotharingiæ & Brabātiæ Principis. Frisiorum bona publicè vēdita. Traiectensibus induciæ datæ.

SVCCESSIT huic * soror Margareta, Ludouici Romanorum Imperatoris coniunx, quæ exquisitissimo apparatu in Hollandiam descendens filio suo Gulielmo hac conditione tradidit eam gubernandam, vt quotannis ille matri certam pecuniæ quantitatem dependeret. Quæ Frisij Per id tempus habebant bona in Hollandia, vt fratris Gulielmi cędem vlciscerētur, Margareta publicè vendidit. Traiectensibus aliquot mensium induciæ datæ. His rebus transactis, rediit in Bauariam Ludouici coniunx. Nec interea Traiectenses quieuerunt, exacto induciarum tempore præter omnium exspectationem, cum exercitu Hollandiam ingressi. sed hic tumultus statim compressus. Post hæc reuersæ ex Bauaria * matri Margaretæ Gulielmus Comitatum restituit. quam rerum mutationem excepit bellum, quod cum Traiectensibus Hollandi feliciter gessêre.

* Hæc Margareta post defuncta sepelitur Valencenis.

Margareta Augusta. CAP. XXIV.

SVCCESSIT in Principatus, Gulielmi soror eius Margareta vxor Ludouici Bauari Imp. illisque filium suum Gulielmum statim præfecit.

AN. 1345. *14. Octob. Philippa Regina Angliæ cum sorore sua Margareta Augusta per portum Butiricum intrauit opidum Hyprense, introduxitque secum multos exules perinde ac si princeps ipsa fuisset Flandrica, quæ quidem duæ Heroinæ 17. Octob. discesserunt, atque altera mare repetijt, altera verò Hannoniam.*

AN. 1347. *Imperator Ludouicus sentiens se hausisse Venenum mortiferum (datum illi à Ioanna vidua Alberti Ducis Austriæ) quum vomere nequiret venationis exercitio frangere malum conatur, at tantà vis erat toxici, vt omne remedium superaret, inter venandum paralysi percussus cecidit de equo in terram, nec ita multò post exspirauit 3. Idus Octobris, postquam annos imperasset 32. successit Carolus Rex Bohemiæ filius Ioannis.*

AN. 1347. *Harlem Hollandiæ opidum combustum fermè totum.*

Pestilentia multò maxima hoc anno grassari cœpit, quæ toto orbe terrarum per triennium sæuiit.

AN. 1347. *Ioannes Hannoniensis militauit Philippo aduersus Eduardum Regem in obsidione Calesiensi.*

AN. 1350. *In Hollandiam duæ ortæ pestiferæ factiones Houc & Cabeliau, dissidium grande tunc erat inter Gulielmum Comitem & matrem eius Margaretam Augustam, pars Nobilitatis, quæ Cabeliauci vocabantur filio, Houci verò matri adhærebant. factio ea calamitosa imprimis terræ illi erat.*

AN. 1351. *Zelandia Hollandiáque grauibus bellis quatiuntur, & 4. Iulij pugna naualis in amne Mosæ inter matrem & filium, qui Hollandiam Zelandiámque cum Hannonia vel viua matre sibi vendicabat. Hic Costus Renessius, Florentius Hamsteda, multique alij nobiles & numerosum sine nomine vulgus, Angli item auxilio missi intereunt. Victa Augusta in Angliam ad sororem fugit, re dehinc vtcumque pacificata Hannoniam sibi Augusta in vita retinet.*

Ludouicus Malianus per Gulielmum ab Reingersvliet magnum Prætorem suum Alostensem manus iniecit ditioni Flobecensi, amotisque Præfectis Comitis suos in illorum locum constituit, sibique eam terram asseruit.

AN. 1353. *Lessunæ pax facta inter Ludouicum & Margaretam Augustam, Comitem tunc Hannoniæ, de controuersia & discordia Flobecensi & Lessunensi hunc in modum, vt Margareta Flobecam Lessunámque possideat in fide ac clientela Comitis Flandriæ, præstet fidem Hannoniensi, sed vt cognoscat tamen Comes Flandriæ de causa & offensa Domini de Aubielle. Item vt Comes Flandriæ præstet fidem Hannoniensi de Blatomo & Tigniaco, & eorum appendicibus. Actum 13. April. 1353. præsentibus Ioanne Episcopo Tornacensi, Domino Pratensi, Domino Pouckensi, Domino Maldeghemensi, Domino de Reingherstvliet, Domino Ludouico vanden Walle, Equite, Domino Malino ab Nepa Cancellario Flandriæ, Testardo à Wuestma 3. nomine autem Dominæ Hannoniensis præsentes erant Ioannes Hannoniensis, & Domini Balliolanius, Moriannus, Haymedius, Bonssutus 3.*

AN. 1354. *Per hæc tempora mercatores Orientales ex Brugis demigrarunt Dordracum Hollandiæ, sed statim reducti fuēre.*

Obijt Margareta Augusta Comes Hannoniæ, pridiè Kal. Octobris 1355. estq; Valentianis sepulta.

COMI-



24 Margarita. Imperatrix.

De Gulielmo quinto.

CAPVT XXV.

Incursio facta in agrum Traiectensium.

GVLIELMVS defuncta matre iniuit Hollandiæ administrationem. Hic Princeps Traiectensium agros ingressus omnia circà vrbem hostiliter populari adortus est. Qua re irritatus Antistes cum ingenti exercitu haud multò post ingressus Hollandiam opida duo capta incendit. Gulielmi huius Principatu, bona pars Vrbis Harlemensis deflagrauit. sed nec hoc quidem satis constat, vnde tam ingens sit ortum incendium. Gulielmus exacto in Principatu septennio incidit in Phrenesim, quo morbo implicitus, cum* hominem etiam sua manu occidisset, vinctus in custodiam datur, in qua & mortuus est. Anno 1379.

Harlemi incendium.

Gulielmi morbus.

**Commentarij habent, huic viro clarissimis orto natalibus nomen fuisse Gerardo de Wateringen.*

Gulielmus Bauarus v. CAP. XXV.

AN. 1357. *LVDOVICVS Comes Flandriæ tum acre cœpit bellum facere Brabantis, vt Dux Vencelaus eiusque vxor Ioanna coacti sint Pacificationem petere. Delectus hic Gulielmus Bauarus Comes Holl. cuius arbitrio Pax composita est his Legibus: Louanium, Bruxella, Niuella, & Tilmontium quoniam Ludouico iurarant fidelitatem, militare illi debebant singulis annis dum viueret per senas hebdomadas impensis Ducatus Brabantiæ cum XXV. Cataphractis sub singulis ipsorum militaribus signis. Mechliniæ in perpetuum Flandro adiudicata Comiti ideo quod empta esset, titulo Ducis Brabantini in vita Ludouico vti licuit, pro dote vxoris Andouerpiam sibi hæredibúsque suis accepit. non tamen scribere potuit Marchio S. Imperij, sed id Tituli Duci mansit Brabantico. Actum apud Atham Hannoniæ 3. Iulij, anno 1357.*

Nota.

AN. 1358. *Mense Aprili Feriis D. Georgij Guilielmus Bauarus Comes Hann. & Holl. phrenesin & amentiam incurrit, ita vt claudi ac seruari per totam reliquam vitam deberet, eóque statu perseuerauit per annos XXX. ad vltimum vsq. vitæ diem. Vltio Diuina fuisse putatur, propterea quòd tam asper, durus ac rebellis fuisset matri suæ Margaretæ Augustæ. Magnum exemplum pro reuerentia obseruantiáq. parentum.*

AN. 1366. *Renatum bellum, prædaque ac latrocinia cum grandi mercatorum præcipuè dispendio Flandros inter & Hannonios. Caussam ex eo natam lego, quod Ioannem Angiensem Ludouici Maliani cognatum Albertus Bauarus Procurator Hannoniæ capite truncasset apud Quercetum Hannoniæ vltima Hebdomade Ieiuniorum in Cœna Domini ob leuem (vt referunt) caussam, postquam accepta fide eò ad Albertum fuisset profectus. Pacificatum tandem cædésque Angiani ab Alberto maxima pecunia expiata ac redempta.*

AN. 1367. *Hoc anno mortua sunt Traiecti XI. milia hominum pestilentiæ lue.*

AN. 1369. *Philippa Hannoniæ Regina Angliæ antiquæ pietatis femina magnisque laudibus digna 19. Kal. Aug. moritur.*

AN. 1372. *Traiecti in Frisia grande incendium nocte D. Odulphi postridiè Barnabæ Apost.*

AN. 1379. *Moritur Gulielmus Co. Hannoniæ successore fratre eius Alberto.*

COMI-



25. *Guilielmus Bauariæ Quintus*

De Adelberto. Cap. XXVI.

RESVSCITATA deinde contentio; his vt Frenetici Comitis* vxor: alijs vt Gulielmi ex vtroque parente frater Adelbertus succederet, adnitentibus; vicit, quod rarum est melior pars maiorem. & missi qui euestigiò † Adelbertum, qui tunc aberat in Bauaria, adirent; rogarentque vt quando frater mentis compos esse desijsset, ipse descenderet administraturus Remp. audita legatione Adelbertus in Hollandiam transgressus, à suis officiosissimè excipitur. Posteà* Delfenses obsedit* iniuriam sibi illatam vindicaturus; nihil tamen hostile fecit, illis veniam suppliciter petentibus, muri tamen diruti sunt, ne deinceps vnquam rebellarent. Egressus inde Comes in Geldriam, prædæ & populationis omnia compleuit. Ab ea expeditione breui in Galliam ad Carolum Regem est profectus. Auctores quos sequimur causam profectionis huius non tradunt. Sunt & Frisones ab eo sæpius vexati. Præfuit *Hollandiæ annis sex & quadraginta, apud Hagam Comitis magnificè sepultus.

** Hæc appellata est Mechteldis, quæ idcircò post mortem Gulielmi non est admota gubernaculis, quòd nullam illi prolem peperisset.*

† Alij hunc Frenetici successorem Albertum vocant.

Missi qui Adelbertum administrandi caussa accerserunt.

Delfenses obsessi.

** Nam Delfenses munimenta & Arces aliquot Principis Alberti incenderant, & item in Haga Comitis absente Alberto effracta custodia eduxêre quosdam è suis, qui antea fuerant Alberti iussu in vincula conjecti.*

Delfensium diruti muri.

In Geldriam eductus exercitus.

** Fuit & Bauariæ Dux. Paulò ante obitum huius Principis tanta oborta est in Hollandia ventorum tempestas, vt maxima hominum strage multæ domus corruerint.*

Albertus Bauarus. Cap. XXVI.

AN. 1379.

QVODAM die Octobris prima luce priusquam propugnatores forent parati Teneramundam Gandenses ductore Rasone Herzelensi vi opidum capere aggreßi sunt. Sed Theodoricus Brederodius Præfectus vigilum strenuus opera sua omne mox præsidium ad defensionem maximo strepitu impulit. Ludouicus Comes Flandriæ, qui in Arce dormiebat, terribili sonitu tubarum excitus absq. vlla mora arrepto vexillo suo ad murum accurrit. Goswinus Sauagius Prætor supremus Flandriæ, Ricardus ab Rasseghem, Ioannes Villanus, Philippus Masminius, Philippus Ronhiacus Burgundio cum occulta alia Nobilitate fortiter hostem exceperunt, oppugnationémque vsque in meridiem sustinuerunt, qui quum se frustra niti cerneret, postero die Aldenardam discesit.

AN. 1381.

Gandenses Albertum Com. Hannoniæ adeunt petúntque supplices ab eo deprecator esse pro ipsis velit apud Ludouicum Principem pro pace tandem firma æternáque sancienda. In Alberto quidem nulla erat mora, quo minus omnia quæ peterent perficerentur. Sed Comes daturum se pacem negauit nisi obsides seu vades quotquot vellet quósque ipse eligeret, paci seruandæ sibi darentur, qua quidem in re conuenire cum illo Gandauenses nequiuerunt. Albertus precibus Ludouici adactus per Prætorem suum Simonem Zalanum prohibet, ne quid Gandensibus seu frumenti seu aliarum rerum deportetur, verumtamen Hollandi Zalano non obediunt, sed volente nolente vel ipso Alberto Gandauo necessaria mittunt. Mense Augusto Gandenses

denses obtenta à Ludouico fide publica mittunt ad Albertum petentes ab eo, vt rursum pro ipsorum pace velit deprecari. Igitur conciliante Alberto Brugis indictus conuentus, ad quem omnia Flandriæ opida suos mittunt procuratores. Hic quingentos sibi tradi vades ex Gandauo Comes volebat, sed eam conditionem quum Gandenses accipere recusarent, irrita cecidit tota congregatio. Albertus adiecta capitis pœna suis interdixit, ne vllo Gandenses iuuarent commeatu, vt Ludouico gratificaretur. sed Hollandi quatenus valebant farinam ac panem vasis inclusa Gandensibus mittebant.

Henricus Dixmudanus audita clade Gandensium ad Resebeccam 1382. 5. Kal. Decembris, vim adferre Alberto conabatur propter cognatum suum Danielem Busæum inibi occisum, sed tectus est Albertus à Guidone Com. Blesensi. Constituerant & Britones iunctis sibi Burgundis & Allobrogibus Hannoniam depopulari, sed id quoque precibus maximè Guidonis Com. Blesensis prohibitum est.

Franco Borsalius sequutus partes Gandensium. AN. 1385.

Quinto Idus Aprilis Ioan. filius Philippi Audacis Ducis Burgund. vxorem ducit Margaretam filiam Alberti Bauari Com. Han. Holland. & Zeland. Simul Gulielmus filius Bauari ducit vxorem Margaretam filiam Philippi Audacis. Hæ nuptiæ apud Cameracum maxima Nobilitatis frequentia celebrantur, dotem dedit vterq. pater filiæ suæ centum milia Francorum, & sponsi honoribus magnis aucti. Ioan. Comes Niuernensis, Gulielmus creatus Comes Osteruandiæ. His nuptiis qui interfuerunt rem visu raram viderunt duas sponsas Margaretas, duásque earum sponsarum matres Margaretas.

Gulielmus Osteruandus per Hannoniam & Hollandiam militem legit, vt socero & Nobilitati Flandricæ veniat suppetias aduersus Gandenses. cuius præcursor Ioannes Grater Traiectensis cum selectissima Hollandorum manu ad Hansdicam applicat cædibúsque & incendiis IV. Officia aggreditur, sed ducibus Simone Parisio Præfecto Maræ ac Richardo Teclmo Præfecto Poerboniensi Gandenses fortiter resistunt pugnáque conserta Gruterum cum filio omnibúsque Hollandis inuadunt & occidunt, vt Brando refert Dunensis.

Gandenses iunctis sibi Anglorum auxiliis Birfletum mouent, quod terra maríque obsident ac fortiter oppugnãt. Tenebat hoc opidũ Ludouicus Aza Flandrẽsis nothus Ludouici Maleani vir bello præstantiss. cui et auxilio venit Osteruãdus cũ Hollandis. Hi ita opidũ defenderũt, vt Gandensibus nihil spei vrbis potiundi relinquerẽt.

Carolus VI. *Rex Galliæ in obsidione Damni Osteruandum Equestri donat dignitate, 1385.* AN. 1385.

Mense Maio Osteruandus cum Comite Fani-Pauli Valeriano Lutzeburgensi Richardi Regis Angliæ genero in Angliam transmittit ad Ludos Equestres, ibiq. ordinem D. Georgij accipit à Rege, qua in re parentes suos ac Regem grauiter offendit, sed ignorantiam suam excusauit, pacéque per Philippum facta fidem Carolo Regi præstitit nomine Osteruanti. AN. 1390. Nota.

Apud Cameracum per Comites Fani-Pauli & Osteruandiæ Equestres decursiones magna superbia factæ. AN. 1391.

In ciuitate Traiectensi Iacobus à Iuliaco Franciscanus Pseudoepiscopus postquam X *per annos Sacramenta in Episcopatu administrasset exutus sacerdotio decollatur.* AN. 1392.

Osteruandius Aleidam Alberti patris sui concubinam occidendam curauit, vnde magna perturbatio exorta, sed duxit vxorem Albertus filiam Ducis Cliuiensis, páxque per illam facta. AN. 1392.

Albertus Bauarus filium suum Osteruandium ab expeditione soceri in Turcas AN. 1396

distinuit, arbitratus non pietate, non amore religionis Gallos moueri, sed humanam vanámq. gloriam solùm spectare, nec dubium esse, quin ob mores ipsorum detestabiles et Schisma ecclesiæ omnia illis malè essent cessura, id quod euentus pugnæ ad Nicopolim IV. Kal. Oct. 1396. commonstrauit, qua capti fuère Rupertus filius Imper. Ruperti Bauari, & Ioan. Com. Niuernensis Philippi Burgundi filius. Igitur Bauarus cum filio bellum eodem anno potenter mouit Frisiis Orientalibus numquam satis pacatæ genti. auxilia magna ex Galliis accepit, quorum erant Duces Valerianus Comes Fani-Pauli, & Carolus Alebretus. ex Germania item & Anglia multi illi aderant. Naues habuit ea in expeditione penè innumeras. Erat tũ apud Frisios Dux longè nobiliss. Iuo nomine vir bello egregius & prudens consilio, qui in Prussia & Hungaria res magnas contrà Turcas gesserat. Hic suasit Frisiis, vt custoditis Arcibus suis, hostes in agros dispergi sinerent, futuram breui vt absque graui incommodo reuerterentur, quod terra aquosa magnísque fossis interscissa tanto exercitui alendo non esset. Sanum quidem consilium, sed à Frisiis tamẽ repudiatum qui sumptis crucibus & vexillis templorum suorum ad 30000. virorum obuiam hostibus prodeunt in tres acies distributi, sub Kal. Sept. commisso prælio Frisij quamuis egregiè pugnantes victi sunt, multáque eorum Nobilitas in Hollandiam captiua deportata. Cecidit autem clariss. Dux Iuo non absque Christiani nominus graui damno. Gulielmus Cruenburgius Hollandus cum filiis Ioanne & Henrico maximam hic virtutem præstitisse traditur. victores Hannonienses Encusam redeunt. facti Ludi Equestrium certaminum apud Castrulacum Metropolim Hannoniæ.*

* Mallim, per agros dispalare.

AN. 1396.

AN. 1398. *Gulielmus Osteruandius ducit rursus exercitum in Frisios, Staucram opidum capit, Frisiámque totam imperata facere cogit.*

AN. 1399. *Groningam Frisiæ opidum Com. Hollandiæ subegit.*

AN. 1400. *Victi ab Hollandis & eorum sociis rursus Frisij.*

AN. 1400. *Obiit sine liberis Catharina vxor Gulielmi Ducis Geldriæ filia Alberti Bauari Com. Hollandiæ.*

AN. 1401. *Gheldrius obiit sine liberis 14. Kal. Martias tumulatus cum Catharina vxore apud Monachusam, succeßit illi in Iuliacum, Gheldriam, & Zutphaniam Reinoldus quartus frater eius.*

AN. 1403. *In mari Hollandico tum admodum procelloso & alto capta mulier marina nuda & muta portata in opidum Edam, & inde Harlem, vestita est didicítque edere panem & lactaria, & vixit annis multis semper muta, didicit item nere, & honorem exhibuit S. Cruci quamuis muta.*

AN. 1403. *Comes Hollandiæ per hebdomadas XII. opidum Gorichum obsidet.*

AN. 1403. *Mense Iunio Hollandiæ et Zelandiæ naues conductæ ab Anglis claßi Anglicanæ magnæ ac forti coniunctæ sunt, & Catsantum Insulam Flandriæ prædæ cupidine inuadunt, partémque illius incendunt ac diripiunt, ea propter omnia bona Hollandorum & Zelandorum Margareta in Flandris distinuit, sed pax breui interuenit.*

AN. 1404. *Mense Decembr. moritur Albertus Bauarus filius Ludouici Imp. sepultus apud Hagam Holland. relictis liberis Gulielmo Osteruandio omnium opum hærede, Ioanne sine pietate, Episcopo Tungrorum, & Margareta coniuge Ioannis Ducis Burgundiæ.*

AN. 1405. *Vocatur à Ioanna Brabantina Margaretæ Maleanæ matertera Philippus Audax, vti Brabantiæ arriperet procurationem nomine filij sui Antonij, id quod mox facere non distulit, veritíque ne quid in eam iuris deposceret Imper. Brabantiam ambo Antonio addixerunt, quamquam ante obitum Ioannæ non sit inauguratus.*

COMI-



De Gulielmo

De Gulielmo ſexto.

CAPVT XXVII.

Gulielmus bis eduxit in Geldros.

PATRI Adelberto Gulielmus filius ſubſtituitur, qui Geldriam ſemel & iterum tumultuosè ingreſſus, fœdè eam populatus eſt. ſed mutatis rebus tantus hic fuit poſteà Reinaldi Geldriæ Ducis amicus, quantus anteà fuerat hoſtis. Biennio poſt Friſones Hollandiæ agrum, vt ſæpè aliàs, hoſtiliter inuaſerunt: cuius vltionem iniuriæ Gulielmus maioribus curis tunc ocupatus in aliud tempus diſtulit. Hic idem conuentu indicto, ad quem multi Hollandiæ Principes ſunt profecti, egit in eo de ſurroganda ſibi poſt mortem vnica filia; quod cùm omnibus placuiſſet ſtatim confectæ ſunt ſuper ea re Publicæ Literæ. Eodem anno Comes in morbum incidit, quo indies magis inualeſcente accerſi iubet ſacerdotem; cui de contractis tota vita noxijs Chriſtiano ritu confiteretur. Poſt hæc ille, cum pauxillum temporis ſuperuixiſſet, fato eſt functus * anno ſuæ gubernationis tertio decimo, conditus Valentianis in ædicula Franciſcanorum.

Conuentus indictus.

* *Pridie Kal. Ian. an. 1417.*

VVilhelmus VI. Alberti F. Cap. XXVII.

AN. 1406.

Margareta Hannonica cum nouo genero filiáque redit in Hanoniam.

MARGARETA *filia Philippi Audacis Ducis Burgundiæ & Margaretæ Maleanæ Comitis Flandriæ nupta Gulielmo Hannoniæ Hollandiæq; Comiti Alberti Bauari filio Compendi vnicam enixa eſt filiam Iacobam, quæ nupſit Ioanni Aquitaniæ Principi Caroli* VI. *Gallorum Regis filio tertio, quem quòd fœdus & amicitiam iungeret cum auunculo ſuo Ioanne Burgundione ac Compendi pila ludentem toxico necatum lego à Valentina & Aurelianis anno 1417. Igitur iuuene extincto marito annum agente circiter* XX. *Iacoba liberorum cupida Ioanni Duci Brabantiæ, Hunfredo Gloceſtriæ Duci, Franconique Borſalienſi deinceps nupſit, ſed nullo partu facta mater ad Hannoniam, Holland. Zeland. & Friſiam propinquo ſuo Philippo Burgundioni aditum aperuit.*

AN. 1406.

Leodienſes Ioannem Bauarum Gulielmi Comitis Hannoniæ fratrem, qui tum nomen titulúmque tenebat apud illos Epiſcopi finibus ſuis hoſtiliter eiecerunt, propterea quod ſacerdos fieri recuſaret, quamquam ſe fore ſacerdotem ſæpius illis promiſerat, nouum ſibi ſtatuentes Epiſcopum Theodoricum à Perelbis, bellum inde cruentum magnáque Leodij & Hannoniæ calamitas ſequuta, quam horrenda prodigia, Cometes, motus telluris & inſueta Moſæ fluminis inundatio præmonſtraſſe traduntur.

AN. 1408.

Pulſus Epiſcopus Traiectum Moſæ fugit amicum ſibi opidum, hic obſident & arctè circuncludunt eum Leodienſes per totos IV. *menſes, ducem habentes Henricum nouelli Epiſcopi ſui patrem. Gulielmus ad liberan-*

ad liberandum fratrem omnem suam cognationem solicitat. Ioannes Dux Burgundiæ opem illi promittit pacta conditione, vt si fortè capi ipsum contingat, ab Hannonio liberetur, eámque ob rem Hannoniam Gulielmus illi oppignerat.

Burgundio militem imperat & cum eo Petrus Luceburgensis Comes Conuersanus, Gulielmus Com. Namurcius etc. Tornaco mouent, Angiam inde petens & ripam Sabis, vbi Florinas fossas omniáque opida & castella ad fluuium illum prosternit & incendit, nemini parcit. & iam Burgundio cum copijs suis omnibus per Saxeam eam, quam Brunehildis vocant, peruenit, vsque ad fines Tungrorum. Leodienses certiores facti de hostium suorum aduentu obsidionem relinquunt & cum L. millibus pugnatorum mouent contrà inimicos, & 23. Septembris frustra dehortante Pervvisio congressi infeliciter ad 9. Kal. Octo. *XXIIX. millia caduntur, & inter alios Pervvisius cum Episcopo Theodorico, & filius Comitis Saluuensis in Arduenna.*

Postridie venit Traiecto Ioan. Episcopus in castra, fratri sororióque Ducibus multiplices actum gratias, capútque Pervvisij hastæ præfixum & toti exercitui ostensum mittit Traiectum pro Trophæo suæ victoriæ. Hic Pervvisius Ioannem Horionem & filium eius Gulielmum & claros aliquot alios viros iniustè decollarat, Sarcihium, id est, Fanum Trudonis super riuum Cisindriam Episcopo fidele vi ceperat, auctor præcipuus totius motus Leodij. Eburones grauiter multati datis obsidibus pacem inueunt, Ioannem suum sine pietate recipiunt, restituitur in locum suum Episcopus ille sine pietate, etc.

Controuersiam Burgundio componit inter Brabantum & Hannonium, qui Brabanto, arbitrio Burgundionis, soluit LXX. milia Scutorum veterum debita Ioannæ Brabantinæ vxori quondam Gulielmi Comitis Hollandiæ ratione dotis profectitiæ. AN. 1409.

Hollandus & eius frater Episcopus Burgundionem secuti in Armeniacos 1411.

Anno 1414. Concedit Augustam Veromanduorum ad Regem Princeps Hannoniæ Margareta cum CC. equis vt oret pro pace. erat enim soror Ioan. Burgundionis, sed coniurati pacem impediunt. Pridie Kal. Iunias Peronam ad Regem Burgundio mittit rursus pro pace sororem suam Margaretam & Antonium fratrem suum Brabantiæ Ducem vnà cum Legatis trium membrorum Flandriæ, at coniurati Regem habentes in potestate, illiusque abutentes nomine & auctoritate perturbant omnia, concordiam reijciunt, pœnas de Burgundione sumere dignas statuunt. Conuentus rursus de pace apud Cameracum vbi ex nostris & multi quidem alij, sed primarij Antonius Dux Brabantiæ & Margareta Hannoniensis, nulla pax conuenire potuit, propterea quòd coniurati iam potentia superiores nimis multa peterent. 3. Kal. Septembris accedunt Dux Brabantiæ & soror eius Margareta, Legatiq. Ciuitatum Flandriæ iam quartò ad Regem, qui Atrebatum iam septem circiter hebdomadas obsidebat, pro pace, & pridie Nonas Septembris concordia inuenta est. nam orta inter obsidentes dysenteria, quam homines non potuerunt morbus Pacem attulit. Confirmata fuit ea postmodum Lutetiæ Brabanto & Margareta, etc. præsentibus.

Ludouicus Delphinus 15. Kal. Ian. 1415. gener Burgundionis suspecta morte moritur, sepelitur Lutetiæ in principe AEde, hoc est, in Basilica virginis matris. Iam Ioannes III. Caroli VI. Regis filius. qui in Hannonia apud socerum educabatur, nouus Delphinus esse debuit, & missa Legatione ad Hannoniam euocatur, sed dubitabat formidabátque Hannonius deducere illum in Galliam, idem enim imminere metuebat suo genero, quod iam acciderat genero Burgundi, nempe vt & hunc perfidia Coniuratorum veneno necaret propter affinitatem Burgundi, cum vxor huius Delphini Iacoba ex sorore Burgundionis esset nata. Burgundio ad Hannoniam concedit, adsumpto secum defuncti fratris Antonij filio Philippo natu minore Fani-Pauli & Ligniaci Comite, multa ibi & varia consultatio super Ioanne nouo Delphino in Galliam deducendo, tandem apud Viroflactum finito colloquio Hannonius secum generum suum in Hollandiam ægro ac fugienti similis ducit. AN. 1415.

Principio huius anni de Pace Regum grande colloquium fit in Anglia apud Londinum, vbi tum erat Sigismundus Imper. eò cum magno comitatu proficiscitur Gulielmus Comes Hannoniæ Pacis valdè cupidus, & de Ioanne Delphino genero suo imprimis solicitus, eò quoque Burgundio misit Legatos 100. sed omnia frustra. AN. 1416.

Ioan. Delphinus (icto cum Burgundione Valentianis fœdere) cum vxore per Augustam Veromanduorum, dehortante licet Burgundione, Compendium à socero deducitur. Socer autem Lutetiam Parisiorum profectus nihil prætermittit, quod ad exstinguendam ciuilem toto Regno discordiam pertinere videretur. quòd si nulla ratione pax integra coire posset, testatur in sequenti Procerum cœtu Delphinum in Hannoniam reducturum.

Inter continuas seditiones initium huius anni morte Delphini fœdatum est. Socer eius Hannoniæ Comes, diu domi penes se illum educarat, metuens semper periculum ab Aurelianensium maleficiis. nam quod præter vnicam illam filiam liberos alios non haberet, imprimisque cuperet sobolem ex ea nasci, procul ab omni tumultu & Gallica seditione domi illum sua continuit. nunc autem sublatis per scelus ambobus eius fratribus Carolo & Ludouico, postquam ius solij illi obuenerat, diutius distinere non potuit, in mediam Galliam deducendus erat. Burgundio non nisi cum exercitu iustisque viribus ducendum censebat, Hannonius verò mitiore vir ingenio Pacem ac concordiam Regni se compositurum sperabat: eam in rem dum totus Lutetiæ incumbit, commeabat vltrò citróque iunior Nobilitas Compendium ad Ioannem nouum Delphinum, quo socer eum perduxerat, effeceruntque vt ipse cum suis æqualibus lusibus variis exerceretur. Interea Socer eius dum Pacis negotium ægrè admodum procedit, protestatus est palam in frequenti consilio & cœtu Procerum se Delphinum secum domum reducturum, nisi Pax inter coniuratos & Burgundionem firma & rata coisset. Offensi libertate loquentis Coniurati, de distinendo & capiendo illo consilia agitant, qua de re Hannonius factus certior, clam cum duobus tantum famulis ex vrbe se proripit celeriter Compendium, mox recursurus cum Delphino in Hannoniam, sed reperit illum lecto decumbentem ac grauiter ægrotantem toto inflato corpore, oculis veluti sedibus suis emergentibus, atque ita toxico infectum refertúmque vt octiduum dumtaxat superuiueret. Mortuus est 14. Kal. Maij 1417. Siquidem dum fortè cum Nobilibus æqualibus ludit pilam, quidam subornatus ambabus manibus venenatis per collum ipsum amplexus est, & mox ægrotare infirmarique toto corpore cœpit. quidam tamen torquem aureum inter ludendum tradunt illum induisse, quem torquem qui attulit, dicebat missum muneri à matre eius in illóque fuisse venenum, quo mox correptus intra octiduum aut paullò amplius perierit. Quod constat odio & perfidia Coniuratorum necatus est, ideo quòd fœdus icerat cum Burgundione. malebant enim omnem Regiam stirpem maleficiis exstinguere, quam Burgundioni per fœdus aliquod videre coniunctam. Ideóque spem suam ponentes in Carolo minimo natu Caroli VII. filio Præfectum iam Parisiorum crearant, atque in spem Regiæ successionis seruabant. Erat is ab omni affinitate Burgundionis alienus. Agebat Delphinus, dum moreretur, annum ætatis plus minus XX. sepultus est Compendij in Dominico D. Cornelij, plorantibus inprimis Iacoba eius vxore ac parentibus illius Gulielmo & Margareta Comitibus Hannoniæ. Apostema (inquit quidam) natum est illi ex toxico ad alteram aurem, quòd intrà corpus crepuit. Hoc ex casu tantum mœroris concepit Hannonius, vt & ipse statim moreretur. Obijt autem pridie Kal. Iunias 1417. conditus Valentianis in AEdicula Fratrum Franciscanorum.

COMI-



27 Guilielmus Bauariæ Sextus.

De Iacoba.

Cap. XXIIX.

Ghorici pugnatum intra muros.

IACOBA post obitum patris gubernationi admota, cùm audiuisset Ghoricum opidum Hollandiæ à Gulielmo Arkelensi occupatum esse, iussit confestim eô cum expedita armatorum manu occurrere VValrauium Brederodiorum Principem, vt repentino suorum aduentu comprimeretur ille tumultus; estq́ue paulò post intrà muros atrociter dimicatum, cæsis vtrinq́ue ducibus. Opido sic recepto venit Hagam-Comitis Iacoba, nupsitq́ue Ioanni Brabantiæ Duci. Interea Ioannes Bauariæ Dux, Iacobæ patruus impetrato ab Imperatore Comitatu, quem iure sibi deberi credebat, quòd Gulielmus frater nullam virilis stirpis prolem reliquerat, magnos tota Hollandia motus excitauit. hinc bella inter eum & neptem orta. plures etiam vrbes hoc metu à Iacoba defecerunt, quæ composita posteà pace Ioanni sunt relictæ. inter quas fuit & Dordracum, Vrbs hodie multùm celebris. Mansit idem Ioannes per triennium Hollandicarum rerum Tutor. quo temporis spatio plurima domi forisq́ue gesta, quæ catalogum tantùm, non perpetuam Historiam scribenti mihi sunt prætereunda. Inter Ioannem Ducem Brabantiæ & Iacobam eius coniugem ortæ postea iræ ita magnæ, vt breui sit inde diuortium subsequutum. Varijs intereà motibus agitari Hollandia, quæ post defunctum Bauariæ Principem & suum Tutorem, spreta Iacoba, Ioannem eius maritum Comitem assumpsit. Hic breui post, cum & Brabantiæ Dux esset, credo delectatus Louanij Brabantiæ Vrbis amœnitate, condidit inibi Gymnasium, in quo liberales artes publicè docerentur. Cæterùm hæc schola successu temporis multùm creuit, præcipuè accessione Collegij, in quo publicè tres Linguæ docerentur Hebraica, Grȩca, Latina. Magnis impensis

Nuptiæ Iacobæ in Haga Comitis.

Dordracum.

Diuortium inter Iacobam & Ioannem Ducem Brabantiæ.

Quo tempore conditum Louaniense gymnasium.

Collegium triū linguarum à quo & quando institutum Louanij.

penſis inſtituit hoc collegium vir clariſſimus Hieronymus Buſlidius, Præpoſitus Arienſis, anno ſalutis humanæ CIↃ.IↃ.XVII. Iacoba extremo vitæ tempore, cùm poſt tot indecora connubia (nupſit enim Ioanne adhuc in humanis agente pluribus maritis) nullam haberet prolem, Philippo Burgundiæ Duci materteræ ſuæ filio, Comitatum Hollandiæ per manus tradidit.

Iacoba. Cap. XXIIX.

*D*EFVNCTO *Gulielmo frater eius Ioannes Bauarus* XXIIX. *iam annum titulum gerens Epiſcopatus Tungrenſis, in Concilio Conſtantienſi Epiſcopatum & Diaconatum deponit, ducitque vxorem Eliſabetham Antonij Brabantini viduam Lutzenburgenſi Ducatu dotatam. Iacobam verò viduam Ioannis Delphini ſuam ex fratre defuncto neptem ſpoliare Hollandia Zelandiáque nititur. Dordracum fauore ciuium occupat, auxilióque Geldrorum Egmondanorum & Herculanorum opidum Gorichum præcipua opera Gulielmi Herculaui capit. Iacoba autem ſtrenua mulier haud ſegniter agit, ſed Gorichum ſtatim obſidet. pugnatum eſt Cal. Decemb. 1417. Iacoba egregiè vicit, mille circiter ex aduerſariis interfecit ac totidem cepit. Interfecti Gulielmus Herculanus, Otho Burenſis, & Peterſomius, capti Dominus Egmondanus, Ioannes Heterius, Henricus Homotius, &c. ſed Valerauium Brederodium magno ſuo damno deſiderauit, opido tamen potita eſt. ſed Bauarus quamuis victus Dordracum retinuit. Ioannes Burgundio nepti ſuæ Iacobæ ſuccurrit. Coit vltima Iulij 1417. conuentus apud Biroſluctum. Ibi ſoluto per nouum Papam Martinum Quintum 20. Nouembr. cognationis vinculo Iacoba Ioanni Duci Brabantiæ Antonij defuncti filio nubit 4. April. 1418. agenti 16. non plus ætatis annum. fremere & iraſci Bauarus conarique Sigiſmundi Cæſaris fauore nepti Hollandiam Hannoniámque detrahere, ſed Iacobæ cauſſa opéſque & vires præualuerunt.*

Bauarus Roterodamum Brilámque occupat, Hadrianum Nothum Hannoniæ virum fortem bello interficit 1418. AN. 1418.

Philippus Burgundio profectus in Hollandiam ſub initium Quadrageſimæ omnem componit controuerſiam inter Brabantum & Bauarum, creatúrque idem Bauarus Procurator vnà cum Brabanto Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ, per quinquennium 1419. AN. 1419.

Orta grandis diſcordia inter Brabantum & vxorem eius Iacobam Bauaram, adeò vt diuortium cum illo facere prorſus vellet, dictitans numquam ſibi cordi fuiſſe eas nuptias, ſed coactam à matre Brabanto eſſe nuptam. Erat impar ſocietas, tenera admodum Brabantus fuit habitudine corporis, viribus non fortibus, hebetique & tardo ingenio, at Iacoba fœmina præſtanti animo, ingenio acri, florentiß. ætate, forma egregia, ſucci pleno, dotibúſque tum animi, tum corporis felix. Sæpe eius mater Margareta, ſæpe Philippus Dux fruſtra conati gratiam inter illos ſarcire. tantum enim abſuit, vt placaretur Iacoba, vt ex Caleſia tranſmitteret in Angliam oratum Henricum V. Regem auxilium diuortio cum viro faciundo, cui contrà ſuam (vt dicebat) voluntatem erat nupta, eoque res proceßit, vt Hunfrido Duci Gloceſtriæ Regis fratri deſponderetur 1420. cui anno 1422. nupſit.

Bauarus Leidam Hollandiæ per totas IX. *hebdomadas obſidet, cogitque ad deditionem. Hoc opidum magnam habet vetuſtatem, dictum Ptolomeo Lugodunum Batauorum, Antonino autem Lugdunum Caput Germaniarum.*

13. Kal. Decemb. inter Gertrudimontem & Dordracum horrenda facta eſt inundatio, qua LXXII. *Pagi abſorpti fuêre.* AN. 1421.

Iacoba quum Brabanto marito ſuo ſub vmbra cognationis nuncium remiſiſſet, hac re grauiter offenſi Brabantus, Burgundio, & Betfordius frater Gloceſtrij Lutetiæ coacto Concilio, vetant Gloceſtrio, ne aſpiret ad poſſeßionem ditionum Iacobæ, donec per Martinum Pont. diiudicetur, vtrum eius cum Iacoba verum ſit coniugium, nécne, ſed ad hanc conditionem adduci Gloceſtrius & Iacoba non potuerunt, menſeque Octobri 1424. cum V. *armatorum milibus ex Anglia applicant Caleſiam profecturi in Hannoniam.* AN. 1424.

niam. Burgundio grauiter permotus apertè declarat Betfordio Galliæ procuratori se auxilium laturum cognato suo Duci Brabantiæ. Succenset grauiter fratri Betfordius, veritus ne ob eam discordiam fœdus cum Burgundis ictum infirmetur rumpatúrue.

AN. 1424. *Nonis Ian. de nocte obit morte repentina Ioan. Bauarus apud Hagam Hollandiæ & ibidem tumulatus apud fratres Dominicanos. Scripserat is Philippum Burgundionem hæredem filium sororis Margaretæ præterita Iacoba filia fratris Wilhelmi.*

Fine Nouembr. Glocestrius & Iacoba ex Calesia per fines Atrebatum cum suo exercitu absque vllo maleficio in Hannoniam transeunt, admißique sunt absque vllo obstaculo in omnibus opidis Hannoniæ præterquam Hallis, quod à Brabanto stetit quemadmodum plærique Nobiles, vt Conuersanus, Angiensis, Ioan. Iumontius, Engelbertus Angianus cum suis omnibus Toparchiis, clientelis, & castellis. Iacoba vt vires suas augeat, omnes exules Hollandiæ Hannoniæq́, ad se accersit. Cognito Philippus Glocestrij aduentu in Hannoniam, Flandris Atrebatibúsque & Brabantis grandes imperat copias, magna Angli damna circumcirca intulerunt, idem vicißim fecère nostri. Inter hæc descendit Dux ex Burgundia in Flandriam, Brabanto se adiungit crescitque eorum exercitus vltra 30000. pugnatorum, obsessa Breuia Hannoniæ, quæ ab ardente milite cupiditate prædæ principio Martij contra Ducum voluntatem capta direptáque & incensa est, Angli Ciuésque multi interfecti. Famam Glocestrius spargit Philippum suam fidem fregisse, qua se obstrinxerat Lutetiæ in fœdere Anglico sanciendo, respondet Dux, illum mentiri, prouocátque ad singulare certamen, accipit conditonem Glocestrius, locúmque statuit apud Fanum Audomari, reuersúsque Calesiam transmittit in Angliam, nec ad diem reuenit duelli obstante Betfordio.

AN. 1425. *Post discessum Glocestrij, Brabanti auxilio Burgundi bellum acre faciunt opidis Hannoniæ, quæcunque partes sequerentur Iacobæ. multa loca direpta, vastati agri, cæsi aut capti incolæ, Mons castrorum, Regia Hannoniæ obsessa. Cùm matre Iacobæ & Legatis Ducis Brabanti colloquia varia habita, plures conuentus acti, vt Insulis, Duaci, Aldernardæ. Conuenit tandem, vt tota Hannonia redeat in potestatem Ducis Brabantiæ, condonatis omnibus offensis. Iacoba autem in Burgundi manu fit, donec per Pont. Martinum controuersia de matrimonio Glocestrij sit decisa, Montenses postquam commeatus inopia laborare cœpissent, minantur se Iacobam Duci Ioanni tradituros, nisi pacem hanc probet, capiunt eius ministros & familiares Bardulphum & Colardum à Porta fratres, AEgidium à Porta & Ioannem à Busco & alios quamplurimos. Idibus Iuniis 1425. ex Monte Castrorum Iacoba Gandauum à Principe Aransiacensi deducta, vt honesto cultu in Aula Ducis eo loci se contineat advsque sententiam Martini Pont. Hannoniæ administratio Brabanto reddita dimißis præsidiis & exercitu, veniaque data rebellioni. Ad Kal. Septembris Iacoba animosa virilisque animi fœmina auxilio Theodorici Merwedi sumpto virili habitu de noctu cum paucis Gandauo fugit, nec cursum intermittit, donec Antwerpiam indéque perueniat in Hollandiam. Philippus grauiter permotus à Brabanto accipit procurationem Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, atque euestigio Iacobam sequitur. Dordraci, Roterodami, Leidæ, Delfis, Amsterdami, Hagæ, Harlemi locisque nonnullis aliis liberaliter excipitur.*

AN. 1425. *Lutetiæ Concilio Betfordius conuocato irritum curat indicari duellum inter Philippum & Glocestrium, condictum talem caussam duello nihil egere, transmitténsque in Angliam fratrem grauiter increpat de duello inimicitiisque cum Burgundione susceptis, totúmque negotium illius certaminis impedit. Philippus CC. milia nummûm petit à Flandris pro sumptibus bellicis: centum illi milia tradita, ea lege vt pacem & mercaturam Anglicam Flandri sibi retineant, quod missis in Angliam Legatis curatum est. Bellum cœptum inter Philippum & Iacobam, in quo Cabeliauci altera Hollandorum factio Philippo, Houcci verò Iacobæ potenter adfuerunt. Schonhouia, Gouda, Oudewater, Viana, Monfordia, Kermerlandi, Alcmarij cum ditione Ecclesiæ Traiect. à Iacobæ quoque partibus steterunt. à quibus nec alienus erat Rodolphus Diephold Traiect. Episcopus. mittit præterea Glocestrius tria circiter milia Anglorum Iacobæ suppetias. Horum dux erat Dominus à Filwater, appellunt in Scaldiam, seu Scaudiam (vulgò Scauwen) Zelandiæ Insulam. Burgundio Procurator Hollandiæ & Zelandiæ, haud segniter suas adunat copias, illisque occurrit inter Quamaiam & Brauwersbauium, iuxta Zirixeam. Pugnatum haud procul ab illo portu Idibus Ian. 1425. & Burgundio victoria potitur. Ceciderunt ex Nobilibus Equitibus Hollandiæ, qui pro Iacoba venerant, Costus Hamstedæ, Ioan. Renessius, Ioan. Hoenpyl, Andreas van Walnus, Nicolaus Zuti, ex Hannonia Colardus, Arbardus præpositus Malbodiensis, Stephanus Gembludianus Dominus à Catto, & AEgidius à Porta. Multi à Philippo Baltheo Equestri donati ob insignem hic nauatam operam ex quibus inuenio Franconem Borsalium eundem Dominum Aggeris S. Martini, Henricum Veriensem toparcham, Ioannem à Flandria Dominum de Praet & Woestina, Ioannem Egmondanum, Ioan. Halowinum, Ioan. Wittonem*

Corscampi

Corscampi & Heylæ Dominum. His ita gestis Philippus dispositis per Hollandiam præsidiis in Flandriam reuertit, nouum delectum habet, augétque exercitum reuersurus adulto Vere in Hollandiam.

*Quarto Aprilis Iacoba Bauara fortis & animosa mulier auxiliantibus Schonouiis, Goudanis, Oudevvatriis, Kermerlandis & clientibus Ecclesiæ Traiect. obsidet per spatium IV. hebdomadarum opidum Harlem, nihilque tutum nihilque inconcussum in circuitu relinquit, pagos multos incendit, multos item circum Delphos corruptis maris aggeribus & septis demergit. Præfectus præsidij apud Harlem erat Rolandus Wtkerkanus fortis eques cum filio Domini Isenbergensis & aliquanto numero militum. Ioan. autem Wtkerkanus cum Flandris Hollandis Zelandisque circiter octingentis Rolando patri opem laturus, priusquam Dux esset paratus in Hollandiam præcedit atque Leidam vsque peruenit, sed quum inde Harlem petit, Iacoba omissa obsidione occurrit illi ad Alphen vicum super Rhenum, vbi circumuentus hostium insidiis loco iniquo pugnare cogitur pridiè Kal. Maias, amissisque ex suis circiter 500. ipse ægrè cum paucis euadit. Creati Equites à Iacoba, quæ pugnæ intererat, Ioan. à Wassenaer, Ioan. à Longoraco, Henricus Craneburgensis, Euerardus nothus Hollandiæ, * Theodoricus à Mervveda, Gerardus Poelgeest, & Arnoldus Gandensis. Iacoba victrix Goudam se recepit. & suos mittit ad Hornas in finibus Frisiorum, vt id opidi capiant, vbi præsidio erant Ioan. Villarus, & Ioan. nothus Fani-Pauli cum 500. selectis pugnatoribus, qui summa virtute erumpentes cum hostibus feliciter dimicant. multa alia facta parua prælia, quæ longum sit narrare, sed vincentibus ferè Burgundis exercitatissimis ad arma, habentibúsque satis bellicorum tormentorum, quibus carebant Hollandi, tum quoque plura loca Frisiæ & Hollandiæ vltrò in Philippi venêre potestatem.*

AN. 1426.

Nota.

*De eodem est supra.

Nota.

Mouet Philippus in Hollandiam, opidúmque Septimontium terra marique potenter obsidet. Loci Dominus (nomen non lego) fortissimo præfuit præsidio ac partes Iacobæ acerrimè defendit contrà vicina opida, quæ Burgundioni se subdiderant. Productum obsidium in tres totos menses & amplius. tandem coacti inopia ciues secessionem à Præfecto suo faciunt, & cum Philippo paciscuntur XI. Aprilis, dedúntque illi opidum vita fortunisque saluis. principio Aprilis naues omnes armáque illorum Duci tradita, captiui ex Burgundis Moyencurius, Herclius, & alij redditi, Seuenbergensis Insulas Flandriæ captiuus mittitur. Exercitum Philippi pestilentia tentare cœpit, Nobiléssque viros Hymbercurium & Mauritium à Fano Leodogarij cum nonnullis aliis absumpsit. Seuenbergius questus grauiter de conditionibus nonnullis sibi malè seruatis patria extorris ad inopiam deuenit, in qua vitam finiuit.

Nota.

Betfordius inter Glocestrium & Burgundum inducias componit sperans se Pacem breui facturum.

Martinus Episcopus vrbis Romæ, quem Papam vocamus, iudicat matrimonium Glocestrij cum Iacoba Bauara contractum nullius esse momenti, sed adulterium esse, ita vt si mors fortè Brabanti intercedat, haud tamen licere Glocestrio Iacobam habere vxorem. eo Glocestrius audito nuncio Leonoram Gobatriam matrimonio sibi iungit, quamuis Natalibus longè sibi imparem, quæ Iacobam comitata fuerat ex Anglia sua in Belgicam.

Nota.

15. Kal. Maias 1426. moritur Bruxellæ Ioan. Dux Brabantiæ piè quidem ac modis omnibus Christianè. Sepulturæ datus est apud Fuonam in AEde Ioan. Euangelistæ sacra, iuxta patris Antonij tumulum annum agens ætatis XXIV. Ita altero abiudicato, altero defuncto ambos amittit Bauara maritos.

16. Aprilis.

Scandonuerium in Cameracensibus, quod erat Ludouici fratris nothi Iacobæ, datum Ioanni Luceburgensi. Erat nothus ille Philippo inuisus propter partes quas tuebatur Iacobæ.

Eodem anno Kermerij & alij quidam magna coacta manu munitiones multas prosternunt, vt Hemskerck, Brederodum, Assendelft, Heilegersbergam, Cralingam, Spangam, simul ijdem Kermerij in Waterlandia Monachodam, Edam, Purmerendam, Medemblick, & Enchuysam opidula capiunt, Hornas obsident, sed capere non valent, suúmque Tribunum Gulielmum Naghel ibi amittunt interfectum ab erumpentibus opidanis.

Post decessum Ducis Brabantiæ Procurationem Hannoniæ arripit Dux Philippus, ducit dehinc ex portu Slusæ exercitum in Hollandiam, vt rebellionem defectionémque quorundam compescat, qui in eius prius iurauerant verba. Obsidet opidum Amerfordiam tum situ tum defensoribus munitissimum. Cinctum erat dumis densissimis fossisque perenni aqua stagnantibus. Hic se Philippus magno exposuit periculo. Transiit aquam & fossam, pugnauitque sua manu in propugnatores, sed coactus est receptui canere & obsidionem soluere. AEdificauit Anstelrodami grandem nauem, quam Catum dixêre. Eam in Emna fluuio locat contra Traiectenses Iacobæ fœderatos. Delphis & Roterodami, quod & ipsi lubrica agerent fide, ac Iacobæ se reddere tentarent, securi multos percussit. Kermerlandos Wostlaros & Teslandos, seu Texandros subiugat. in Dordracenses quoque nonnullos capitali supplicio animaduertit.

AN. 1427.

uertit. Delphis quidam Mosellani Ioannem Egmondanum Scultetam Delfensem cum ciuibus V. *interfecerunt, quam cædem viri ex illis* XII. *capite luerunt. Commissa & apud Wieringam pugna naualis inter Gulielmum Brederodium Iacobæ Ducem, & Harlemenses, Hornenses, Amsterodamos alıósque Burgundioni fœderatos. quo prœlio victus & captus est Brederodius cum multis suæ factionis, ex quibus* LX. *decollati, sed Brederodius gratiam obtinuit.*

In Hollandia omnia Philippi erant præter Sconhouiam, Oudevvatriam, & Goudam vbi se Iacoba consobrina eius continebat, contra ea opida Philippus Ioannem Villarium, Adameum, & Leonellum Bornouillam cum præsidus satis magnis relinquit, séque in Flandriam recipit.

AN. 1428. *Ex portu Slusensi magnis Philippus copijs petit Hollandiam statimque Goudam & in illa Iacobam obsidet, Goudani timore perterriti consilium dant Iacobæ vt cum Philippo plenam ac solidam faciat pacem. Igitur 8. Iulij Iacoba Phllippum verum agnoscit suum heredem, vt à morte eius in Hannoniam, Holland. Zeland. & Frisiam succedat, ipsúmque horum Principatuum Præsidem ac Procuratorem creat. Promittit insuper se nulli nupturam, nisi de consensu Philippi & ciuitatum suorum Principatuum. Sibi pro victu ac dignitate sua reditus & vectigalia ampla retinet, possidendáque accipit Comitatum Oosteruandiæ, Zuytbevelandiam, Terram Brilensem, Vorensem & quædam alia, compositis item rebus cum Episcopo Traiect. Franconem Borsalium ex Nobilitate Zelandica Philippus pro se constituit Præsidem Hollandiæ Zelandiæ & Frisiæ, atque in Flandriam exercitum reduxit.*

Alias 4. Maij.

AN. 1433. *Mense Iulio Iacoba Bauara clam nubit Franconi Borsaliensi. Pactum erat ne inconsulto Philippo nuberet. hinc offensus Philippus Franconem capit ac Rupelmondæ custodit. Rumor erat decollatum iri, Iacoba valdè solicita, intercedentibus amicis, virum liberat, sed Philippo Hannoniam Hollandiam Zelandiam & Frisiam transcribit. Oosteruandiam cum aliis supra memoratis Borsaliensi Philippus assignat, qui Iacobam sibi retinet vxorem cum omnibus vectigalibus Hollandiæ & Zelandiæ.*

AN. 1436. *8. Idus Octobr. finem viuendi fecit Iacoba Bauara absque vllis liberis, adiitque Philippus proximus eius hæres omnes ipsius ditiones. sepulta est apud Hagam-Comitis in Hollandia.*

COMI-



L DePhilippo

De Philippo Comite.

CAP. XXIX.

Huius laudatissimi Principis miro artificio expressam effigiem vidi Bruxellæ in magnificentissimis illis ædibus Nassauianis. Barland.

Calisia obsessa.

** Populi sunt Flandriæ; Vrbes Gandauum & Brugæ nominantur; hæc diues, illa maxima est & populosa: in hac videre licet plerisque locis augustissima ædificia; in illa cælum nitet purius, hæc mercatorem, illa clerum habet & literas.*

Prima Comitia Velleris aurei.

David Episcopus Traiectensium.

** Erat hic David nothus Philippi.*

Philippus Brugis moritur.

PHILIPPVS accepto à nepte Comitatu Hollandiæ, cùm esset ob quasdam res infenso in regem Anglorum animo, Calisiam in Flandrorum finibus sitam vrbem tanta armatorum manu obsedisse dicitur, vt soli aurigæ, qui bellica instrumenta aliaque ad militiam necessaria eô aduexerant, sufficere potuerint ad vrbem expugnandam. Cæterùm, antequam Calisia tentari cœpta, obsidio soluta est discessu *Gandauorum & Brugensium, pro quorum ardore iraque nimis pigrè Philippus omnia faciebat. Idem Princeps non multò post in Haga-Comitis primus Aurei velleris habuit Comitia. filium suum, cui *Dauidi nomen, gementibus atque inuitis Traiectensibus, Antistitem Vrbis fecit. Hoc etiam adnitente Ludouicus Delphinus Galliæ Principatum est adeptus. Et Philippus, cùm per hæc aliaque virtutis opera quatuor & triginta annis Comes Hollandiæ fuisset, Brugis morbo graui affectus vita decessit.

COMI-



30 *Philippus Burgund. Cogn. Bonus.*

De Carolo Philippi filio.

CAPVT XXX.

HVIC ſucceſſit filius Carolus, rerum geſtarum magnitudine patre ſuperior, & vt ille conſilio prudentior, ità hic animo magnificentior. qui cùm eſſet Hollandiæ Comitatui inauguratus, non magno poſt tempore ingenti conflato exercitu in Leodinorum agrum profectus, ob coniectum in vincula Ludouicum Borbonium ipſorum Antiſtitem perneceſſarium ſuum, eorum Vrbem acri bello expugnauit, expugnatam diripuit, direptamq́. euertit. Poſt Leodij excidium hic Princeps militari virtute nullo ſuperiorum Comitum inferior alia multa bella geſſit mirâ celeritate ſemper atque ardore; quo apud poſteros eſt conſequutus, vt Carolus iam non hominis, ſed bellicæ fortitudinis nomen habeatur. Apud Nantium, quod extremo tempore obſidione cinxerat, tribus confoſſus vulneribus perijt. Quo duce extincto in ipſo ætatis & rerum proſperè geſtarum flore, diuturnus apud omnes totamque Hollandiam luctus fuit. ſed nec Principis ſui amantiſſimæ gentes, cædis nuntio fidem primùm habuêre; quòd vt fortiſſimum ducem, ſic inuictum crediderant.

Leodium expugnatum & euerſum.

Laus Caroli.

Carolus apud Nantium confoditur.

COMI-



31 *Carolus Burgundiæ.*

De Maria Caroli filia.

CAPVT XXXI.

** Fridericus. etc. De hoc Principe illud memorabile, quòd annos quatuor & L. pacatissimam Germaniam habuit. vir prudentissimus tota vita nihil tam studuit, quàm fortè exortos inter suos ciues tumultus sedare.*

Gallus Mariæ bellum indixit.

Atrebatum.

Auennæ captæ & incensæ.

Naui Genuensium.

MARIAM Caroli (de quo modò locuti sumus) filiam vnicam, forma excellenti virginem, cùm nobilissimi Principes *Fridericus-Imperator & Ludouicus Gallorum Rex certatim, hic Carolo, ille Maximiliano filio vxorem peterent, conuocati sunt Louanium Patriæ Primores, qui auditis quæ postulabantur censuerunt ex patris Caroli voluntate, Maximiliano Friderici Imperatoris filio Mariam dandam in matrimonium. quod adeò iniquo animo tulisse Gallus dicitur, vt statim omnibus quibus præerat Maria bellum indixerit. Per id tempus Atrebatum hostiliter adortus est, admissusque in eam vrbem, cæsis primoribus, diripuit primùm bona ciuium, deinde sine discrimine etiam iussit occidi omnes, qui Mariæ fauerent. vastauit inde quicquid agri opido circumiacet. in Hannonijs Auennas vi captas incendit, missis Parisios ijs quibus ducibus incolæ restiterant. ij posteà non nisi ingenti pecunia sese redemerunt. Eodem tempore cum Gallus & mari premeret, ab Hollandis Amstelredamorum ductu prosperè pugnatum est, capta naui à Genuensibus, cuius magnitudinem nostri homines admirabantur.

COMI-



32 *Maria Charlesia*

De Maximi-

De Maximiliano Auſtrio Imperatore.

CAPVT XXXII.

MAXIMILIANVS Caroli Ducis filia in matrimonium Gandaui recepta factus Hollandiæ Comes ditionis ſuæ Principes omnes literis ac nuncijs hortatus eſt, vt ad bellum Gallo, qui vſque in eam diem Mariæ prouincias magnis cladibus affecerat, inferendum arma ſecum induerent. ad quam expeditionem cum non pauci nobiles viri opinione celerius aduenißent in * Morinorum agrum egreſſus cum Gallis acie conflixit. Fuit ea pugna Gallorum Ducibus infelix, bona militum parte cæſa. mouit inde Maximilianus in Tornacenſes, quos tam arcta cinxit obſidione, vt ſtatim petentes pacem ſeſe dediderint. recepti hac conditione, vt ſi vnquam aliâs Flandris rebellaſſent, publicarentur eorum reditus omnes, quos quotannis ex Flandrico agro recipiebant. Anno proximo in Hollandiam reuerſus Maximilianus conſtituit * Vicecomitem alium eius prouinciæ, cùm ipſe rebus magis arduis implicitus adeſſe non poſſet. Hæc tum ab eo adhuc Comite geſta, quæ poſteà geſſerit Imperator adeò multa ſunt & varia, vt ſeparatim volumen requirant. Illud ſolum adiiciam, huius * morte Principis nihil accidere potuiſſe luctuoſius rebus humanis, & vtinam ſine ſanguine huic ſucceſſorem inueniat orbis.

Gallus bello petitus.

* *Morinum, vrbs Galliæ Belgicæ adiacens Oceano contrà Angliam noſtra memoria capta atque direpta ab Anglis.*

Maximiliani victoria.

Tornacenſes obſeſſi.

Vicecomes Hollandiæ relictus à Maximiliano.

* *Vicecomitem. In hoc etiam vocabulo vſurpando conſuetudinem ſequuti ſumus.*

Maximiliani mors.

* *Deceſſit hic Princeps longè optimus ac liberaliſſimus. Anno virginei partus CIↃ. IↃ. XIX. Menſe Ianuario.*

COMI-



33 Maximilianus Austrius

De Philippo Maximiliani filio.

CAPVT XXXIII.

PHILIPPVS per ætatem adminiſtrationi maturus, vltrò cedente Maximiliano patre, gubernacula Hollandiæ ſuſcepit. Noſtra memoria hic Princeps cum magno peditum, & equitum globo ingreſſus Geldriam, vt eam terram olim à maioribus ſubactam repeteret, omnia terrore compleuit. pleraque opida perculſa metu ad primum ſtatim potentiſſimi Ducis aduentum ſeſe dedidere. In his principijs videbatur breui Geldriam vniuerſam domiturus, niſi repentè mutatis (vt fieri ſolet) rebus in* Hiſpaniam profectus fuiſſet, vt Caſtellano Regno inauguraretur. Fuit ea Philippo maximè pacata magnificaque profectio, vt altera illa nobis planè non triſtis ſolùm, verùm etiam luctuoſa. Nam tunc in Hiſpanijs deceſſit adhuc iuuenis, & ampliſſimis imperijs deſtinatus.

Philippi aduentus in Geldriam.

Philippus in Hiſpaniam bis profectus.

Eiuſdem obitus in Hiſpaniis.

** De hac triumphali in Hiſpaniam profectione, déque felici huius Principis in patriam reditu exſtat panegyricus Gratulatorius Deſiderij Eraſmi Roterodami: quo viro neque facundiorem, neque doctiorem Orbis habet, ſiue quis Theologiæ myſteria ſiue politioris dictionis lautitias requirat. Hic Philippum adhuc iuuenem laudat, obiectáque virtutis imagine cohortatur ad honeſta.*

COMI-


34 Philippus 2s Austrius

Ad Carolum illuſtriſsimum Romanorum & Hiſpaniarum Regem Philippi filium.

PERDVXIMVS, iuuante Deo, Catalogum Hollandiæ Principum ad Celſitudinem tuam Illuſtriſſime Carole, de qua iampridem tui ciues nihil expectant mediocre. Omnibus certiſſima ſpes eſt, te aliquando magnum illum Philippum pietate, Carolum (qui ob rerum geſtarum magnitudinem Bellator à quibuſdam dictus, & quem [illegible] nomine refers) bellica virtute, auum Maximilianum clementia, Philippum patrem comitate, facilitateque ſuperaturum. In hanc autem ampliſſimam ſpem tui amantiſſimos, tuiſque obſequijs impenſiſſimè deditos ciues adduxit cum naturæ tuæ bonitas, tum exacta ſub incorruptiſſimis magiſtris pueritia tua. ex qua iam egreſſus maiorum tuorum indolem apertè repræſentas. Bis igitur beatus futurus, quiſquis erit ille, qui te ſenem, quem ego nunc iuuenem alloquor, à rebus geſtis laudabit, efferet à pietate in Diuos; moderatione in ſumma fortunæ indulgentia; modeſtia in tanto rerum omnium ſucceſſu; comitate in tanto florentiſſimi Regni faſtigio; denique à ſapientia, per quam Principes imperant & diſcernunt iuſtitiam.

Philippus ſenior Pius. Carolus Bellicoſus

Maximilianus clemens.

Philippus iunior comis & facilis.

Magiſtri pueritia Caroli.

Virtutes principis Pietas, Moderatio, Modeſtia, Comitas, Sapientia.

COMI-



35. D. Carolus Quintus Augustus.

Hollandia.

QVAM *nunc Hollandiam dicimus, olim Holtlandia nominata est à copiis lignorum, vt habent annales quidam. Huius regionis herbis & salictis maximè consitus est ager. Frumentum, quo vtuntur, nauigiis aliunde inuehitur. Homines hic industrij, negotio, si simplices, & ad omnem humanitatem benignitatémque propensissimi. Alios videas ad parandam vel rerum, vel linguarum cognitionem diuersa Christiani orbis adire gymnasia. Hollandis verò magis honoratur egregia morum integritas, quamquam nec ipsa negligunt studia præcipuè literarum meliorum, quas aliquanto felicius quàm cæteri discunt, si modo à teneris annis præceptoribus tradantur. In vasorum nitore, mensarum lautitia, mantilium atque mapparum candore, munditia denique rerum omnium superant alias nationes. mulierum genus pulchrum & lacteum, aut negotiatur vt viri, aut lanificio, lactificióue dat operam. Hollandia & piscosis interluitur amnibus, & pascuis abundat vberrimis, neque regio esse creditur alia in orbe, quæ simili spatio tot habeat opida, mediocriter quidem magna, sed apprimè polita & concinna. Pagos quoque regio sumptu passim ædificatos videas. Dolendum hanc tam nobilem, tam florentem prouinciam Lutheranæ factioni tantopere fauere. Dicam nunc de opidis huius regionis.*

Traiectum.

HANC *vrbem attribuunt Hollandiæ, alij Frisiæ, siue in Hollandico solo, siue in Frisia sita, haud dubiè nobilissima est, & priuatarum ædium pulchritudine, & clero. Habet enim celeberrima Canonicorum Collegia, in quibus principem tenet locum, quod est diui Martini. Habet & antistitem, qui in sacris latissimè imperat. Hic tam diues ac potens, vt siquando sit necesse quadraginta hominum milia ad bellum possit armare. Ex hac vrbe Rom. Pontificem Hadrianum eius nominis sextum nostra vidit ætas. Quæ felicitas nulli vnquam contigit aliarum quæ sunt in orbe nostro. A Traiecto non longè dissita est Dauentria, quod opidum plures annos floruit schola bonarum literarum.*

Dordracum.

VRBS *est validè munita, negotiationi idonea, vndique cincta mari, opibus & celebritate inter alias longè princeps.*

Herlemum.

HANC *vrbem inuenio conditam à quodam illustri viro, cui nomen inditum fuerit Lem, germanica lingua, vrbs hinc dici cœpta Herlemsstat Germanicè, nos eadem ratione Herlemum dicimus Latinè. Forum hic maximum, pulchræ domus, templum egregium, vrbs sita est loco peramœno. Statim egressis mœnia, occurrit nemus, in quo varias auium linguas audire licet, in quo timidi damæ, ceruíque fugaces, lepores, cuniculi, denique ferarum omne genus.*

Leyda.

PVLCHERRIMVM *Hollandiæ opidorum. AEdificia habet & concinna & frequentia. Vicorum hic est perpetua quædam mundicies, vt aliis quibusdam terris plus luti ac cœni inuenias in domibus, quàm hic in plateis.*

Delfum & Haga.

De *huius opidi conditione puto me dixisse nonnihil in opusculo de Comitibus. Incolarum opes amplæ sunt, multa in diuos pietas. Ceruisiam conficiunt optimam, quæ plurima ad Zelandos vicinam gentem importatur. Hinc paruo miliario distat Haga-Comitis, ita enim nominatur, pagus & magnitudine, & cultu, & incolarum frequentia non paucis anteferendus. Hic concilium est ad quod totius Hollandiæ, atque item Zelandiæ populi concurrunt in rebus ambiguis.*

Amstelredamum.

Hoc *cæteris quæ nominaui, recentius opidum, genus hominum incolit pecuniæ studiosius. Quocirca in remotissimis etiam terris negotiantur, habéntque toto ferè anno externum domi suæ mercatorem. Præstat hoc illis commoditas portus. Sunt alia quædam non pœnitenda Hollandiæ opida, Goricum, Gouda, Alcmaria, Roterodamum, eximij illius viri Erasmi Roterodami vrbs nutricula.*

Zelandia.

De *Zelandiæ meæ situ extat per quàm eruditi viri Gerardi Nouiomagi veteris amici nostri epistola non inelegans. Dicit ille totam Zelandiam 16. insulis ac totidem opidis constare, fertilem esse regionis agrum, multóque diligentius coli, quam Hollandicum. Quod hic nascitur triticum multò & purius & candidius esse Hollandicó. Mores esse indiscretos cum Hollandis, lingua citatiore nostrates esse. Portuum commoditate, mercimoniorum copia, & nauium numero Gerardus Hollandiæ præfert Zelandiam. Coquitur hac insula sal candidissimus. Habet Zelandia tres insignes insulas Walachriam, in qua Veria & Middelburgum opida mercimonijs florent. Scaldiam, vbi Ziricea est opulentum, & non inconcinnum opidum. Zuytbeuelandiam, in qua duæ sunt vrbeculæ, Gousa, Ruemersuuala. Est hæc omnium Zelandiæ insularum amœnissima. Syluas habet locis aliquot, hortos quoque, in quibus est, quicquid natura produxit herbarum esculentarum. Pomaria passim amplissima. Hic mensibus vernis omne auium genus subsilire, circumuolitare, colludere, delitiari videas, hic vel studere, vel obambulare, vel cum amiculo confabulari, vel cibum capere, vel cum sodalibus lusitare summa est voluptas. Gousæ opidulo, quod dixi, vicina est patria mea Barlandia, locus adeò & fertilitate ac rerum copia, & ædificiis & littoris amœnitate præstans, vt non immeritò de hac dicere possim, quod de Baiis Horatius dixit, Nullus in vrbe locus Baiis prælucet amœnis. Item poëta Martialis: Vt mille laudem Flacce versibus Baias. Laudabo dignè non tamen satis Baias. Totus locus pratis irriguis paruísque cinctus est nemusculis. Dignam studiis dignam musis sedem diceres.*

ILLVSTRI VERIENSIVM PRINCIPI ADOLPHO S. D. HADRIANVS BARLANDVS.

NVLLO *pacto fuissem ausus literis meis obstrepere tuæ Celsitudini, Adolphe Princeps clarissime, nisi superioribus diebus vir doctissimus Joannes Borsalus, instituti istic à maioribus tuis Collegij Decanus, tàm multa scripsisset mihi de tua humanitate atque in omnes bonarum literarum studiosos beneuolentia. Itaque perlecta eius opidò quàm eleganti ac erudita epistola, statim cœpi cogitare de euulgando sub titulo nominis tui opusculo quodam meo de* Rebus gestis Caroli Burgundi, *qui ante Nantium Lotharingiæ Urbem confossus interiit. quando enim & literas amas & literatos, non dubium est mihi, quin has quales-quales vigilias meas boni sis consulturus, atque eo studio lecturus egregij Principis egregia facinora, quo soles (vt accepi) tuos de iisdem rebus audire loquentes; & imitari quoque & facere ea, quibus maiorum tuorum gloriam illustratum iri putares. Accipiet igitur Celsitudo tua libellum meum, hoc est, Carolum ætate prouectum Adolphus ætate florens, de quo Zelandia mea (cur enim non sit mea, quæ recens natum prima excepit?) omnia exspectat, quibus adiutus Carolus exteris nationibus formidabilis, suis autem vixit longè carissimus. Hunc autem rerum gestarum tanti Principis velut gustum si sensero non displicuisse tuæ Celsitudini, mox ad alia maiora, quæ sub signis gessit, conscribenda accingemur. Vale. Louanij ad Idus Ianuarias, Anno* 1519.

CARO-

CAROLVS DVX BVRGVNDIÆ.

De Natiuitate Caroli, & parentibus eius.

NATVS eſt Carolus Digij, opido Burgundiæ, anno partus Virginei IIII. & XXX. ſuprà quadringenteſimum & M. IV. Idus Nouemb. Patrem habuit Philippum, de quo proximè dixi, virum longè optimum: Matrem verò Yſabellam, quæ marito ſuo præter Carolum, duos alios filios genuerat, quorum vnus adhuc infans, alter iam pueraſcens extinctus eſt.

De ſtudiis eius in pueritia.

CAROLVS annos natus fermè duodecim, optimis moribus & liberalibus diſciplinis traditur inſtituendus, vt qui in ſpem ſucceſſionis tot prouinciarum aleretur, eoque breui peruenit meditando, exercendoque, vt natu grandior, & Latinè loqueretur, & ſcriptores veteres, etiam citrà interpretem intelligeret. Quod certè tam rarum eſt in principibus noſtris, vt plurimùm etiam placere nobis & criſtas erigere poſſimus de qualicunque ad ſummas eius virtutes, acceſſione doctrinæ. Imbutus eſt & Muſicis, olim apud antiquos honeſtiſſimo ſtudio, quod hodieque ſuam retinet laudem apud quaſdam nationes. Doctos viros plurimùm amauit. Et occaſione data prouexit, maior haut dubiè futurus ingeniorum Mecœnas, ni bellicis diſtrictus curis, mentem omnem & cogitationem ad arma conuertiſſet. Ego in commentariis rerum Hollandicarum inuenio, religionem

adeò curæ fuiſſe adhuc penè imberbi, vt preces horarias quæ canonicæ vocantur, legerit, nec vnquam omiſerit niſi multùm occupatus. His filij progreſſibus, in tantum eſt gauiſus pater Philippus, vt ſæpius dixerit, plurimum ſe omnium bonorum largitori Chriſto debere, quòd talem eſſet illius benignitate ſucceſſorem relicturus.

De diſsidio inter eum & patrem.

CAROLVS iam primas adoleſcentiæ metas ingreſſus, accepit à patre comitatum Cadralegij & quædam alia loca, è quibus annuum reciperet prouentum. Accidit non multò pòſt vt Ioannes quidam Coeſteynius à conſiliis Philippo patri cogitare cœperit, quomodo Carolum principis filium veneno necaret, erat enim hic illi inuiſus. Vt verò reſciuit Carolus, ilico ad patrem venit, & non ſine lachrymis, exponens quod ægrè eſſet, iuſſu parentis Cœſteynium apprehendit, apprehenſum & nefarij ſceleris conuictum ſupplicio admouit. Ex hac tam iuſta & ſalutari animaduerſione Carolo inexpiabilis conflata eſt inuidia apud eos, ſine quorum conſilio, neque priuatim, neque publicè quicquam agebatur. Itaque his conantibus factum, vt breui pater à filio alienatus, primum omnibus bonis eum exuerit, mox etiam vetuerit edicto, ne quis illuſtrium virorum aut illi conuiueret, aut prodeuntem honoris cauſa ſequeretur. Hoc in ſtatu cùm res patris Philippi repperiſſet Antonius nothus, è Gallia tum reuerſus cum exercitu, poſthabitis rebus omnibus, nihil non tentauit, nihil non fecit quod ad fratrem Carolum patri reconciliandum pertineret. Philippus autem rogatus à multis & magnis principibus, vt nihil commeritum filium in gratiam reciperet, ſecum cogitans vnicum eſſe illum hæredem ſuum, ad ſe ex Hollandia quo is durante patris ira profugerat, reuocatum, amplexus in priſtinam dignitatem reſtituit.

De prima

De prima eius expeditione.

PRIMAM expeditionem vltro ſuſcepit in Ludouicum Regem Gallorum, quem ad Montem-Henrici magno prœlio deuicit. Is locus diſtat ab vrbe Pariſiorum ſeptem Gallicis miliaribus. Carolus in ea pugna periclitatus eſt, nempe in collo graui vulnere accepto. Rex autem Ludouicus abiectis armis trepidus in arcem quandam ſe recepit. Deinde Pariſium regiam vrbem ingreſſus, plures dies intra muros ſe continuit. Interim ad Carolum victorem ſæpius miſſi legati, qui pacem peterent, qui omnia victum regem facturum dicerent, quæ victor Carolus petiuiſſet. Igitur his legibus tandem pax impetratur, vt omnes eas terras Burgundionum Principi Gallus redderet, quas antea vi tenuiſſet, his adiectæ tres ciuitatulæ, inter quas Pyrona. Carolus victor Bruxellam reuerſus ingenti patris Philippi, deinde totius gaudio ciuitatis eſt exceptus, in eo enim congreſſu omnia ſpe, votiſque maiora contigerant.

De morte vxoris eius Yſabellæ.

QVVM adhuc in Galliis Carolus abeſſet, vxor Yſabella mariti ſui longè amantiſſima, Gorici opidulo Hollandiæ, in morbum incidit, contractum (vt quidam putant) nimio Caroli deſiderio. Igitur conuocati peritiſſimi medici ſuaſerunt, vt relicta Hollandia, Gandauum veheretur, fore ſperantes, vt filiolæ (quæ in eadem Vrbe per id tempus educabatur) iucundiſſimo conſpectu recreata, breui conualeſceret. vbi verò Antuerpiam peruentum, mulieri adeo morbus inualeſcere cœpit, vt in D. Michaelis Cœnobium deportata, paucis poſt diebus exſpirarit. Sepulta inibi magnificè antè aram maximam. Fuit hæc mulier Chriſto deditiſſima. Struunt aliæ magnificas ædes in quibus omni de-

litiarum genere fruantur, Ysabella pauperibus impendit omnia. Legitur sæpius paucis comitibus, inopum circuisse tuguria, quibus illorum subleuandæ egestati occultè pecuniam intulerit, eximio prorsus atque omni æuo memorabili exemplo.

De euersione opidi Dionantensis.

ANNO salutis humanæ M. quadringentesimo sexagesimo sexto, Dionantenses (horum opidum Dionantum visitur ad Mosæ ripas) adiuti Leodinorum viribus latè Brabantiam, Hannoniam, Namurcum, fœdis populationibus deuastabant. Multa interim contemptim loquentes de Philippo Principe, cui per id tempus aduersa valetudine impedito non licebat patrios tueri fines. Carolus igitur filius iniuriam non ferens, ex Arthesia (vbi tum erat magnis implicitus negotiis) Bruxellam rediit, atque ibi conscripto statim exercitu profectus in Dionantenses, eorum vrbem validè munitam cepit, captamque euertit. Iuxta Dionantum & Bouiniam ad Mosam Pouluagium opidulum, tunc etiam deletum & solo æquatum est. Visuntur hodie domus aliquot reliquiæ euersæ vrbeculæ, visitur & puteus insignis. Eodem temporis spatio erat Leodinos quoque magno armorum apparatu inuasurus, nisi vicinæ vrbis euersione perterriti illi, supplices veniam petiissent, quibus pro ingenita sibi clementia Carolus noxam condonauit, acceptis ab eisdem quinquaginta obsidibus, qui Louanium profecti, tantisper ibi manerent, quoad Philippo patri (cui fuerat illata iniuria) omni ex parte satisfactum esset.

De morte patris eius.

NON multò post Philippus pater, ablegato in Angliam Antonio notho suo, qui ab Rege Eduardo quarto

peteret,

peteret, vti ſororem ſuam Margaretam, Carolo daret vxorem, Brugis eodem anno ægrotare cœpit. A proceribus qui tum aderant illic, fore ſperantibus vt breui reualeſceret, Carolo filio qui id temporis Gandaui erat, nihil ſignificatum proximo triduo. Verùm poſteà magis magiſque inualeſcente morbo, quum non procul abeſſe à morte videretur, accerſitur filius, qui nocte dieque continuato itinere profectus, iam quidem grauiter affectum, ſed tamen ſpirantem adhuc patrem inuenit, manſitque cum eo. Defunctum verò tam pijs eſt lachrymis proſequutus, vt aſtantibus ipſe lachrymas excuſſerit. Aſtantium quoque procerum & fœminarum illuſtrium ad principis caſum tanta eſt orta commiſeratio, vt præ nimio dolore parum animi compotes, alij clamorem extollerēt, alij propemodum exanimati conciderent. Poſtquam verò mors optimi principis fama ac nunciis vulgata eſt, maximus repente luctus omnium occupauit animos qui Burgundicæ ditionis fuerunt. Annus, quo tam inclytus perijt princeps, fuit (ſi commentarij quos ſequimur, rectè colligunt) milleſimus quadringenteſimus LXVII. humanæ ſalutis. Corpus eius inſepultum aliquamdiu ſeruatum eſt in eadem vrbe. Decreuerat enim filius illud primo quoque tempore in Burgundiam ſepeliendum auehere. Quod poſteà factum eſſe ſuo loco dicetur. Yſabella mater cùm paucis annis chariſſimo coniugi ſuperuixiſſet, mortem obiit Arris, non longè ab opido ſancti Odomari. Cuius etiam corpus in Burgundiam eſt auectum.

Quomodo Flandria & Brabantia principatum acceperit

POST ſummum patris diem, Carolus cum ornatiſſimo procerum ſuorum agmine Gandauum properat. Quod vbi eſſet intellectum, occurritur ei ab vrbis primoribus, qui nouo & optatiſſimo principi aduentum gratulati, eundem

introducunt, eſtque tunc impunitas conceſſa plus octingentis maleficis, qui cum principe Gandauum ſunt ingreſſi. Exceptus igitur omni ſpectaculorum genere,& vocibus vndiquaque aggratulantium ciuium,principatui Flandriæ inauguratur. Sed Pompam illam,ſed gaudia illa atque tripudia inopinatus luctus inquinauit. Nam tumultus inaugurationem ſequutus eſt, petentibus Gandauis omnia priuilegia ſibi reſtitui,quæ Philippus pater illis ademerat. Eſtque populi furor eo graſſatus, vt ibi Carolus fuerit coactus facere, quæ illi vellent. Sub hæc profectus Teneramundam, miſſis Gandauum legatis, omnia reſcidit, quæ paulò ante illis metu potius quàm voluntate conceſſerat. Venit poſtea Louanium, primam Brabantiæ vrbem, vbi cum ſimili ſolennitate eius regionis principatum ſuſcepit, tanto omnium gaudio, vt beatos ſeſe clamarint, quibus tot animi dotibus excellentiſſimus princeps contigiſſet. Louanio Bruxellam profectus: in ea quoque vrbe ſingulari fauore excipitur, ac feſto die Margaretæ miro conſenſu ciuium in verba noui principis iuratum eſt. Huc ad eum reuerſis Gandauis, qui paulò ante per tumultum inſurrexerant,veniam petentibus ignotum eſt.

De compoſito per eum tumultu Mechliniæ.

EODEM ferè tempore Mechliniæ exortus tumultus, qui velut incendium alia atque alia corripiens,eo ſerpſit, vt furore vulgi expulſis, qui rempublicam adminiſtrabant, præfecti domus ſolo æquata, bonaque eius direpta ſint. Qua violentia princeps vehementer commotus, incredibili celeritate eò contendit vrbem deleturus,niſi orantibus multis nobilibus viris, vt ſanæ parceret multitudini, hac lege ignouiſſet admiſſum, vt quicquid priuatarum ædium antea vulgus per furorem euerterat, ſuo ſumptu inſtauraret, numeratis

meratis triginta milibus aureorum præfecto, cuius bona diripuerat. Illud etiam inuenio, multa tum ciuibus ademta ob rebellionem priuilegia.

De ſubactis Leodienſibus.

HIS peractis, Carolus iterum bello adortus Leodienſes, multas eorum arces vi cepit, opidum ſancti Trudonis, (ita enim hodie vocatur) obſedit aliquot diebus. Cuius ſubacti muros dirui iuſſit, vt ita rebellandi materiam in perpetuum eis adimeret. Poſtremò Leodienſes quoque obſeſſi, videntes non poſſe ſe viribus Caroli reſiſtere, omnes inermes cum ſingulis veſtimentis egrediuntur, adque ducis genua prouoluti, multis tandem precibus obtinuere, ne vrbs excidio dederetur, quæ imperata facere non recuſaret. Princeps verò vtcunque placatus, domitam atque ſubactam vrbem non eſt ingreſſus, niſi quicquid intus erat armorum ad ſe deportatum, in ſua poteſtate haberet.

De ſecundis eius nuptiis.

DEFVNCTVS hoc bello princeps, vxorem duxit Margaretam ſororem Eduardi quarti Anglorum regis. Hæ nuptiæ Brugis, opido Flandriæ celebratæ ſunt tanto apparatu, vt nihil à condito æuo ſol viderit ſplendidius. Primum omnium ad celebrandas nuptias domus à fundamentis extructa incredibili ſumptu ac celeritate, cuius parietes, conclauia, atque cubicula omnia tapetibus precioſiſſimis conſternuntur. Triclinium in quo princeps die nuptiarum conuiuio adhibiturus erat nobiliſſimos quoſque, ita magnificè ornatum eſt vt cætera omnia quamquam precioſiſſima, nihil tamen fuerint conferenda cum his, quæ ibi viſebantur. Erectus eo loco fuit abacus, in quo pulcherrima vaſa

omnis

omnis generis expoſita vidiſſes. Hic erant ex auro puriſſimo emunctoria, candelabra, maluuia, pelues, vaſcula potoria, diſci, ſalina, œnophora, paropſides, gabata, vox me citius defecerit, quàm nomina tantum dixerim eorum, quæ ad illius magnificentiam conuiuij abſoluendam parata erant. Foris quoque nihil ceſſatum eſt. Omnes vici, omnes domus quà erat ventura ſponſa, pulcherrimis auleis, plateæ floribus omnifariam, quos dabat anni tempus, veſtiuntur. Sunt & nobiliſſimi artifices vndique accerſiti, ad exgotitanda ea, quæ ingredientium & prætereuntium oculos detinere poſſent. Iam parata & magno conquiſita erant pleraque omnia quum dies appeteret nuptiarum. Brugas igitur cum trecentis plus minus equitibus princeps egreſſus, Damam venit. Huc enim non multò ante ex patrio ſolo appulerat ſponſa, in hac vrbecula celebrato nuptiali fœdere, ilico Brugas reditum, Margareta ciuium lætis excepta vocibus, gratiſſima nimirum atque omnibus optatiſſima adueniebat. Nunc prætereo edita toto opido ſpectacula omnis generis. Prætereo exhibitos ludos tota vrbe regionatim, & quidem per doctiſſimos hiſtriones. Taceo omnium penè Burgundicæ ditionis opidorum gratulationes, inſignium ingreſſus antiſtitum. Denique celeberrimam hominum frequentiam. Nuptiarum die in triclinio, vbi cum ſponſa & illuſtrioribus viris diſcumbebat princeps, quatuordecim partim argenteis, partim aureis nauibus, quarum ſingulæ quatuor ſcaphulas habebant, cibus in menſam illatus eſt. Quid miſſus dicam ferculorum? quos fuiſſe legimus numero circiter quadraginta. Quibus verbis efferam vinum odoratiſſimum? quod conuiuis appoſitum eſt. Secundæ menſæ tragemata, ex ſaccaro, poma, nuces, lautitias omne genus habuere. Quæ omnia dum fixi, ſuſpenſique præ ſtupore conuiuæ deguſtant, à pueris interea in Cupidinum ſpeciem figuratis, longè ſuauiſſimi ad menſas adolentur odores.

tur odores. Nihil ad hanc magnificentiam egregius alioqui Antonij & Cleopatræ apparatus. Nihil Heliogabali ſexcenta ſtrutionum capita vna cœna appoſita. Vt ſemel finiam, quicquid de dubiis ac pollucibilibus loquitur cœnis antiquitas,hac Burgundia inferius eſt. Poſtquam verò exempta fames epulis, menſæque remotæ, oculorum varia ſunt exhibita oblectamenta, ex quibus prope innumeris, pauca referam. Illati ſunt in triclinium pauones flammiuomi,in quibus tantum artificij, tantum operæ inſumptum eſt,vt à veris internoſci vix potuerint. Introductus eſt Leo, cui eximia pulchritudine virgo inſidebat,geſtans manu inſignia principis Caroli. Ad oſtentandam magnificentiam magis quàm oblectandi gratia illatæ ſunt argenteæ turres numero triginta, quibus arces totidem ſignificabantur, quarum ea tempeſtate dominus ac poſſeſſor erat Carolus. Poſtremò introductum eſt animal (Dromedarium quidam putant fuiſſe) cuius dorſo impoſitæ ſportulæ, vnde omnis generis euolantis auiculæ, haud aliter cantu demulcebant omnium aures conuiuarum, quàm vere nouo ramis arborum inſtrepitantes vario concentu prætereuntem detinent viatorem.Secundum hæc funambuli, Panthomimi,Arethalogi, ſaltationes, illuſtrium choreæ fœminarum, & quicquid præterea animi gratia potuit excogitari, exhibebatur. Quod reliquum erat temporis ante cœnam,variis eſt luſibus impenſum. Carolus autem,quum hæ nuptiæ fierent, annum ætatis agebat triceſimum quintum: primo, ſecundo, ac item tertio diebus proximè inſequẽtibus ludi ſunt exhibiti,& celebrati magnificentiſſimo apparatu in argumentum publicæ lætitiæ, quos Georgius Badenus,Epiſcopus Metenſis,Ioannes Burgundus Cameracenſium antiſtes,Dauid Burgundus Traiectinorum in Hollandia præſul,Guido Tornacẽſis eccleſiæ ſummus paſtor,cum pleriſq. aliis multo nobiliſſimis viris,Carolo principi & ſponſæ admirationẽ vſq. formoſæ aſſidentes ſpectarunt.

De ſuſcepto per eum principatu Hollandiæ & Zelandiæ.

HIS celebratis nuptiis, cum vniuerſo propemodum flore procerum Burgundiæ in Hollandiam venit, vbi rurſus ad ſingularum vrbium ingreſſum, renovata lætitia, inſtauratis triumphis, & paſſim editis magnificentia, ſplendoreque viſendis oſtentaculis, apud Hagam-Comitis pridie feriarum diuæ Magdalenæ, principatui eius regionis initiatur.

De vltima obſidione Leodij, & eius euerſione.

SVB id tempus rebellatum eſt à Leodienſibus, qui nocturno tempore ingreſſi Tongrinum (olim hæc vrbs Octauia dicta eſt) Ludouicum antiſtitem ſuum, Caroli principis nepotem captum abduxerunt Leodium. Huius rei indignitate permotus Carolus vndique magno ſtudio contractis copiis, mouit in Leodinos. Erat tunc temporis eorum vrbs non ſolùm magna & egregiè munita, verùm etiam florentiſſima & caput eius gentis. Magnitudinis argumentum fuit quòd in ea tum viſebantur templa numero triginta duo, nos vulgò dicimus eccleſias parrochiales. Ad hanc igitur vrbem caſtra Burgundus exercitumque partitus, eam non vno loco circumſedit, poſtridie vt ſperabat expugnaturus, niſi pluuio cœlo impeditus fuiſſet. Auxilia ad eius expugnationem opidi miſit Gallorum Ludouicus, qui & ipſe magna ex parte gerendis rebus interfuit. Carolus paucis diebus obſeſſum Leodium, valideque interea ab incolis defenſum, nouiſſimè vi cepit, captum diripuit, direptum euertit, multis prius ac variis ſæuitiæ exemplis à milite ipſius editis. Antonius Sabellicus in opere cui titulum prætulit Zapſodiæ hiſtoriarum author eſt, Burgundum ſummo id bellum odio ſuſcepiſſe. Nam expeditionis eius ducibus ab eo mandatum eſt, vt vna manu exertum gladium,

dium, altera geſtarent facem ardentem,iis nimirum rebus miſeræ genti exitium minitantes. Captam vrbem Gallus cum Burgundo ingreſſus pectore non rectam, ſed Andreæ crucem habuiſſe dicitur,vt hoc facto innueret omnem eius belli gloriam ad Carolum pertinere. Incidit autem hoc excidium inclytæ vrbis in tertium Calend. Nouembres,anni dominicæ incarnationis, milleſimi, quadringenteſimi,ſexageſimi octaui.

De Aquiſgrani incolis à Carolo veniam petentibus.

LEODINOS iam obſeſſos Aquiſgrani ciues & incolæ commeatibus iuuerant. Quod vrbe capta iniquiore animo ferens Burgundus cum lectiſſima manu Traiectum ad Moſam proficiſcitur, inde quamprimùm in Aquiſgranos educturus. Aquiſgrani hoc audito, non arma parant, non vrbem muniunt,non ea quæ ad reſiſtendum erant neceſſaria circumſpiciunt,ſed metu & immodico pauore conſternati, primores ſuos Traiectum misêre. Vbi ad Caroli principis conſpectum humiliter prouoluti, ſtatim & vltrò portarum clauibus traditis, opidi totius imperium illi permiſerunt. Gratum fuit Burgundo obſequium, grata humilitas. Proinde venia data,ſed hac conditione, vt propter adiutum hoſtem octoginta florenorum millia, duci intra ſtatutum tempus adnumerarentur.

De animaduerſione in quoſdam.

SECVNDVM hæc Bruxellam,vbi ducaria ſedes erat,reuerſus Carolus, & gratiam omnibus retulit qui ſuperiore Leodienſi bello ſtrenuam operam nauaſſent, & in eos animaduertit, qui vrbe capta è ſacris locis quippiam ſuſtuliſſent. Egregius princeps hoc facto oſtendit, nullum eſſe tam

iuſtum bellum in quo non ſit à diuorum templis atque aris temperandum.

De reditu profugorum Leodienſium ad ſuam vrbem.

EODEM tempore Leodinis,qui Caroli victoris metu profugi incertis ſedibus vagabantur permiſſum eſt, vt ad ſua loca redirent inſtauraturi, ſi vellent ea quæ paulò antè militum rabies, deformauerat. Vndique igitur in vrbem omni propè deſertam humano cultu immigratur. Nec ſine lachrymis immigratum præſertim quum incendio miſerabili, propemodum ſolo æquata ædificia præterirent,in quibus aliquando lætos dies inter ſanguine cõiunctos exegiſſent.

De ſeueritate eius in iure dicendo.

IVS dixit poſteà in omnibus ſuis prouinciis, haud minore ſeueritate quàm diligentia. non eſt paſſus vlla grauiora ſcelera impunè fieri. Nullus vnquam principum in iure dicendo minus dedit amicitiæ, pecuniæ, ſanguini. Quibus rebus nimium ſolent quidam commoueri, neque interim eſſe memores, iuſtitiæ primum munus eſſe, ius ſuum vnicuique tribuere.

De Friſiis quadam,& motu ſequuto expulſionem Eduardi Anglorum Regis qui ſocer Caroli.

PAVCIS poſt annis Friſiæ orientales populi, quum Burgundionum ducis imperium detrectarent,miſſi ſunt hinc inde legati per quos de pace & parendi conditionibus ageretur, quamquam libertatis gens amantior,nullas niſi multò æquiſſimas conditiones admiſſura videbatur. Carolus animaduerſa gentis pertinacia, terribili armorum apparatu mox erat fines eorum ingreſſurus, niſi ad tempus diſſimu-

landum

landum ratus, aliò mentem conuertiſſet. Circa eadem tempora maximus armorum motus in Britanniis extitit, pulſò & eiecto nobilium coniuratione Eduardo rege, Caroli Burgundi ſocero. Neque reſedit hic motus citra humanum cruorem. Ante Caliſium & alia quædam loca ingenti edita cæde. Cuius rei nobis eſt autor Sabellicus, veteris ac recentis hiſtoriæ ſcrutator, meo iudicio non indiligens.

De ſtella comata viſa Caroli temporibus.

ANNO dominici natalis, Milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, menſe Ianuario ſub feſtum diem Agnetis exorta eſt crinita ſtella, quæ maximo horrore mortalium viſa, fulſit per continuos tres menſes. Multa hunc cometam ſequuta bella, atque ingens hominum cædes & peſtilentia, quæ pluribus locis atrociter ſæuiit.

De Arnoldo Geldriæ Principe carcere educto, & Adolphi filij huius per Carolum apprehenſione, & de bello Geldrio.

PER idem ferè tempus opera & ſtudio Burgundi cuſtodia dimiſſus eſt Arnoldus Geldriæ Princeps, quem filius Adolphus ſeptennium totum in vinculis detinuerat. Quam cauſam huic in parentem violentiæ prætenderit non tradunt, quibus curæ fuit noſtratium principum res geſtas conſcribere. Illud reperio Adolphum poſteà accerſitum ad Carolum principem vti de communibus rebus inter ſe commentarentur. Sed quum impius ille multa eo congreſſu ſe digna Caroloque indigna locutus eſſet, primò diebus aliquot ſeruari iuſſus, mox Viluordiam (& hoc Brabantiæ oppidum) abducitur, vbi cuſtodiæ traditus manſit vſque ad obitum Caroli. Duplex deinde fama eſt, quomodo acceſſerit Burgundo Geldriæ principatus. Quidam eum emiſſe

ſcribunt à duce Iuliacenſi, qui tum verus eſſe credebatur hæres eius terræ. Alij tradunt Arnoldum paulò antequam vita decederet Adolpho filio infenſum, exhæredato eo principatum ceſſiſſe Bungundionum duci Carolo, qui defuncto iam Arnoldo miſit ilico ad ſingula penè eius regionis opida legatos, qui monerentur, vt ſi rebus ſuis conſultum vellent, Caroli imperium reciperent. Quod ſi facere recuſarent, haud dubiè futurum, vt egregius princeps armis repeteret ſuam terram. Legatis ſuperbè reſponſum neminem eſſe tota Geldria qui magnopere Caroli minas pertimeſceret, ſi acie certare vellet, non defuturos qui patriam defenderent. Hæc vbi renunciaſſent legati, ſtatim cum exercitu profectus in Geldriam Carolus, primum à Ruremundanis recipitur, atque his initiis perterriti vicini, vltrò deditione facta, in gratiam ſunt accepti. Opidum Venlo diebus aliquot obſeſſum eſt, ac nouiſſimè, apertis principi portis, omnia ſunt illi in manum tradita. Poſtea & Nouiomagum clariſſimum Geldriæ opidum, viginti quinque diebus variè oppugnatum ad deditionem compellitur. A cuius ciuibus ingenti lætitia introductus Carolus totius Geldriæ principatum ſuſcepit. In eadem vrbe ad ſe adductos mortui Arnoldi ex filio nepotes, primùm eſt oſculatus, deinde è conſpectu ſummotos iuſſit auehi Gandauum ad vxorem ſuam Margaretam, ſic reperio apud quoſdam. Alij dicunt pueros illos non Gandauum miſſos, ſed vnà cum principe auectos eſſe in Brabantiam, vbi ſint plures annos honorificè habiti. Nouiomagi principatu Geldriæ (vt dixi) ſuſcepto, à cæteris quoque eius terræ opidis Burgundus recipitur, ac poſtremò comitatui (vt vocant) Sutphaniæ, ſolennibus etiam cæremoniis initiatur. Æſtas qua ſubacta eſt à Caroli armis Geldria, fuit citrà omnem hominum memoriam calida, diuerſis locis & homines & bruta animantia intolerandis perierе caloribus.

De con-

De congressu duorum principum potentissimorum Friderici Imperatoris, & Caroli ducis.

ANNI huius autumno Fridericus Imperator pulcherrimo comitatu, in quo multi egregij præsules, multi insignes duces, ac illustres erant optimates, venit Treuiros (est hæc ciuitas ad Mosellam fluuium sita) vt cum Carolo Burgundionum principe de multis ac variis rebus coràm loqueretur. Carolus verò vt venisse audiuit Imperatorem, compositis in Geldria rebus, eò confestim est profectus, longè pulcherrima comitante pompa. Inuenio principi non longè dissito à Treuiris obuiam itum ab Imperatore, tum vrbem tubis, aliisque id genus circumsonantibus instrumentis pariter ingressi, diebus aliquot vnà fuerunt. Interim Carolus nihil non opum, nihil non splendoris effudit, ad decorandum Imperatoris aduentum. Conuiuium, cui per eos dies Imperator est à Carolo adhibitus eiusmodi fuit, vt propemodum nuptias illas (de quibus alio loco diximus) apparatu, & magnificentia æquauerit. De hoc Friderici imperatoris, & ducis Caroli congressu extat, & circumfertur pulcerrima epistola, eximiè docti viri Rodolphi Agricolæ.

De parlamento Mechliniæ per Carolum ducem instituto & sepultura parentum eius.

REVERSVS ab Imperatore Carolus, Mechliniæ curiam instituit, qua non erat alia in orbe Christiano celebrior futura, si feliciter inchoatum à Carolo principe concilium insequentes duces pari cura fouere, ornare, atque ampliare studuissent. Hæc curia prælata cæteris, constituta erat caussarum omnis generis iusta ac legitima disceptatrix, omni adempta prouocandi potestate litigantibus. Consiliarij numerum tricesimum explebant omnes viri docti, perspicaces, circum-

circumſpecti,acri iudicio,iuſti & ſobrij. Dixiſſes Areopagitarum concilium illud eſſe, ea grauitate, doctrina, prudentiaque lites dirimebant,ſuum cuique reddentes. Ad locum audiendis controuerſiis deſtinatum equites ibant, aliter enim non licebat. Curiam ingreſſis, paratum erat ſacrum. In hoc precabatur ſacerdos, vti optimus Deus eiuſmodi ſuis mentem daret, vt eo die concilio prodeſſe aliis & poſſent & vellent. Sacro facto, locum tractandis reipublicæ negotiis conſtitutum ingrediebantur. Vnde poſt horas aliquot ſub meridiem egreſſus eos excipiebat. Iterum ſacrificus alterum facturus ſacrum, in quo Deum precaretur, vt eius diei concilia, commodo eſſe vellet reipublicæ. Ad hæc honoris ademptionem his fuerat interminatus Carolus, ſi quid per ſocordiam præteriiſſent,quod ad reipublicæ commodum pertinere videretur. Adeò nihil hic princeps,niſi de publico cogitabat. His itaque ſic ordinatis, ad parentum ſuorum ſepulturam animum adiecit. Vtriuſque igitur patris matriſque corpus, longis itineribus in Burgundiam deportatum, ſepelitur in Carthuſienſium monaſterio,quod extra Digium vrbem viſitur, non incelebre. Singulis penè opidis, qua erat iter faciendum, celebratæ exequiæ nullo adhibito honoribus modo.

De obſidione Noueſij, vulgò Nutia dicitur.

PER id tempus Ruperus Beyeren Colonienſium Archiepiſcopus, multum eſt apud Carolum Burgundum cognatum ſuum queſtus, magno conatu obſtare Colonienſes, & opida circumiecta, quo minus ipſe debitos ſibi annuos prouentus ex locis illis reciperet. Quo audito Burgundus, vt Ruperó (alij habent Roberto) præter cognationis vinculum, etiam chariſſimo ſubueniret, conſcripto ingenti equitum ac peditum exercitu,fines ditionis ſuæ egreſſus, ad bellum Colonienſium, & finitimis inferendum properat.

Noueſium

Nouesium Coloniæ vicinum (dicitur vulgò Nutia) cœptum est obsideri mediis Iulij caloribus. Aduexerat secum princeps immensæ molis bombardas, quibus non vno loco disiecta murorum parte multum & vrbis ædificiis damni illatum, & magna incolarum facta strages. Lego vrbem multa vi oppugnatam aliquanto etiam maiore præsidio à ciuibus defensam. Erat præsidij præfectus Hermannus quidam comitis Hessenij frater, cuius virtute opidum incolume mansit, inter maximos terrores. Nam vt cætera obsidionis mala prætercam, ab his etiam qui intus erant fame & rerum omnium tanta inopia laboratum est, vt equi, instrumenta militiæ, pluribus victui fuerint. Apud quosdam inuenio, paucis diebus in alimoniam ciuium absumptos CCCC. equos. Hic nihil dico de prœliis quæ durante obsidione inter obsessos & Burgundum fuere. Ex multis enim duntaxat insignia consector. Assidebant nostri homines Nouesium, quum imperator Fridericus Agrippinam venisset, vt cum Burgundo vel confligeret, vel obsidione Nouesium liberaret. Hoc audito Carolus, tantum abfuit, vt fugam circumspexerit, aut de soluenda obsidione cogitarit, vt instructos suos etiam produxerit, auidus certaminis. Verùm continuit sese intra septa Fridericus imperator, vel non ausus dimicare, vel quia speraret futurum, vt imperatoris aduentu perterritus Burgundus, inde subitò discederet. Quum nihil tale post dies aliquot euenisset, videreturque dux in incœpto bello perseueraturus, est inter eum ac imperatorium militem satis atrociter pugnatum, vicitque Burgundus tanto gloria maiore, quanto bellicosiorem fuderat hostem. Et hanc victoriam potius virtuti quàm fortunæ debuit, nam & aciem peritissimè instruxerat, & promptissimè omnes pugnauerant. Non est post eum diem Romanus princeps ausus cum Carolo manum conserere. Itaque de pace agi cœptum per summi pontificis Legatum Alexandrum antisti-

tem Foroiulienſem, qui noctes dieſque principes hortari, vt arma exuerent, Burgundus Noueſio diſcederet, quoad de re maturius cognoſceretur, eſſetque Pontificis maximi ea cognitio. His vtrimque acceptis, pax ſancita eſt, quam excepit Gallicum bellum.

De bello aduerſus Gallorum Regem.

NAM Ludouicus Rex Gallorum Artheſiam & Picardiam ingreſſus, plurima Caroli ducis opida vi capta diripuit. Quo ſucceſſu elatus, de Atrebato etiam oppugnando cogitauit. Verùm huc tempeſtiuè miſſum præſidium, Galli conatus irritos fecit. Prius tamen quàm Ludouicus ex his locis militem abduceret, pugnatum lego inter eum, ac duces, quos miſerat Carolus ad tuendum Atrebatum. Vicit Gallus, qui vt erat numero militum ſuperior, ita cùm longius abeſſet Carolus, multò etiã plus animi ſecum attulerat.

De aduentu Eduardi Regis Angliæ ad Carolum ducem, & de induciis cum Gallo.

SVB hanc pugnam, ab Noueſij longa obſidione domum reuerſo Carolo nunciatur, appuliſſe Caliſiam Eduardum Anglorum regem, cui eius tam laborioſi itineris cauſa fuit, vt cum Carolo, qui rurſus ingentem contraxerat exercitum, ſuas copias iungeret. Ita enim prius inter eos conuenerat. Vnà igitur Galliam ingreſſi, tantum terroris Ludouico incuſſerunt, vt is repentè conuocatis regni primoribus, eos veluti in re trepida anxius conſuluerit, quo pacto eſſet infeſtiſſimo hoſti reſiſtendum. Placuitque tum legatos mitti, qui pacem peterent. Auditi legati, non pacem, ſed nouem annorum inducias impetrarunt. Hic tam inſperatus rei exitus, vt incredibili Gallum lætitia affecit, ita Anglorum principes malè habuit, quibus immodica vaſtandæ Galliæ cupiditas inceſſerat.

De bello

De bello gesto in Lothoringia.

EDVARDVS vndecim hebdomadibus in Caroli prouinciis commoratus, ad ſuos tranſmiſit menſe Septembri, quo tempore,& Carolus Namurcum venit: vnde cum ingenti militum numero antè exitum eius menſis in Lothoringiam, ob fœdera ſibi non ſeruata, profectus, impetu primo vrbeculas aliquot vi cepit,captas,præſidio muniuit. Quo ſucceſſu ducis perterritus Renatus eius terræ princeps,annos natus circiter viginti,cum aliquot nobilioribus viris in Galliam fugit, ne viuus in hoſtium poteſtatem veniret. Fuga principis adeò fracti ſunt omnium animi, vt effuſus Caroli exercitus, paucis diebus loca plurima occuparit. Nouiſſimè obſeſſum Nantium longè munitiſſimum opidum, tenuit obſidio illa nouem hebdomadas. Vrbs interea multum ſtrenuè defenſa, tandem fame domatur. Itaque facta deditione, ciues vita donati, præter duos tréſve, qui vltimo ſunt affecti ſupplicio. Animaduerſionis huius cauſa non traditur à ſcriptoribus. Vrbem deditam Carolus præſidio firmauit,atque inde digreſſus,totam Lothoringiam breui ad obſequium redegit. Fuit hæc vltima eius victoria. Vulgò creditum eſt,omni fauore numinis deſtitutum eum,poſtea nunquam feliciter pugnaſſe cum hoſte,quòd eodem tempore multò grauiſſimis exactionibus clerum oneraſſet,quamquam expedit nonnunquam quoſdam ad frugalitatem vocare,modo ſatis iuſtæ ad id faciendum rationes acceſſerint.

De bello eius contra Heluetios.

SVBACTIS Lothoringis non diu in ocio fuit Carolus,ſed bellicam gloriam augendi cupidior, tranſtulit inde bellum in Heluetios, quod hi populi non multo antè Sabaudiam (vbi præerat neptis eius) tumultuosè ingreſſi omnia terroris ac prædæ compleuerant. Itaque primum ſunt miſſi

ab Heluetiis legati, quos princeps Carolus vix auditos iussit confestim abscedere, atque ipse eodem tempore sequutus in vrbe Gransonia, quam nonnulli dicunt ab eo tum expugnatam, plures Heluetios in crucem sustulit. Quo facto commota & irritata gens pugnatior, contracto exercitu hostem Burgundum adoritur certa spe aut occidendi eius aut fugandi. Heluetiorum impetu degrauatus Caroli miles primò auertitur, inde fusus fugatusque multâ cum cæde dissipatur. Fuisset in eo prœlio captus princeps, nisi relictis suis loco discessisset fugienti similis. Sunt qui scribant hic periisse opes Caroli ducis, tantum vasorum aureorum argenteorumque ac vestium omnis generis ab hoste deportatum, amissus & omnis bellicus apparatus.

De iisdem.

EXPRIMI verbis non potest quantum ex hac inimicæ gentis victoria dolorem animo conceperit victus Burgundio, qui vincere semper antea consueuerat. Vir alto spiritu ac nimium quietis impatiens, neque die, neq. noctu somnium capere potuit. Itaque reparato exercitu, iterum Heluetios adoritur, cum quibus infelicissimè nuper dimicauerat. Hîc quoque vicit ac superior fuit Heluetius, quippe qui numero militum præstabat. Pars multò maxima Burgundionum aut capta aut cæsa, nullus ferè clari nominis fuit ex nostris, qui non illic ceciderit præter ipsum ducem, qui re perdita ac profligata cum paucis fugæ comitibus, fuga seruatus est. Ioannis Baptistæ dies fuit quo Heluetij & Burgundiones tanta animorum pertinacia conflixere: qui huic proximus dies illuxit facilè declarauit, quàm tetra sit ibi loci edita cædes, numerata enim sunt à quibusdam, xxvj. M. occisorum.

De recu-

De recuperato Nantio per renatum, & eiusdem vrbis obsidione per Carolum ducem.

HAC clade suorum consternatus Carolus in maximum luctum ac mœrorem incidit, nunc secum reputans quantum hominum proximis duobus prœliis, sua temeritate orco demisisset, nunc existimans nihil esse turpius, quàm vinci eum ducem, qui toties ipse fortissimos populos ad obsequium redegisset. Cæterùm Caroli malis & tam nobili Heluetiorum victoria erecti plures populi consotiatis viribus vt vnum hominem extinguant, ad arma concurrunt, ac ductu Renati principis Lothoringiæ, Nantium vbi à Carolo præsidium fuerat relictum, obsidione cingunt, nec multis interpositis diebus idem opidum prius expugnant, quàm Burgundus eò cum suis copiis accurrere potuit. Expectabat enim ex Brabantia, & finitimis locis nouum exercitum, quo accepto properans in Lothoringiam, Nantium iterum obsedit. His locis ab hoste (quod minimè futurum verebatur) circumclusus, tanta rerum omnium inopia laborauit, vt in eius exercitu plures fama sint extincti. Itaque indignantium militum voces passim exauditæ, satius fuisse dictitantium, in patria manere, vbi coniugibus suis ac liberis assidentes, nulla interim neque cibi neque potus inopia premerentur. Abductos se in ea loca quibus aut procul à patriæ conspectu moriendum sit, aut quod morte miserius est ac tristius in seruitute viuendum. Hæ militum querelæ non dubium est, quin principem suorum amãtissimum commouerint, verùm in eo statu res erat, vt mederi tantis malis non potuerit.

De prœlio ante Nantium & cæde Caroli ducis.

HAVD multò pòst Lothoringus ad pugnam euocat Burgundum, qui vna parte copiarum in obsidione relicta,

ſtatim venit ad locum certamini conſtitutum,acie dimicaturus cum paucis aduerſus tam multos. Hic ſuos perterritos hortatus dicitur vt alacres irent & gloriam à maioribus acceptam poſteris relinquerent, adeò non eſſe formidandum hoſtem Heluetium, qui pauore Burgundici agminis haud ſua virtute bis feliciter antea dimicaſſet. numero militum vincere Heluetium,ſed non raró modicis copiis præpotentes fuſos eſſe exercitus. In hanc ſententiam vbi pauca nequicquam dixiſſet, canentibus ſignis Renati miles cum tanto fremitu & clamore in hoſtem procurrit,vt ſtatim turbatum eum loco ſummouerit. Neque difficilè admodum erat,pugnabant enim cum recentibus & integris,debiles macie confecti. Primum igitur facta fuga,deinde innumeri cæſi ac primo impetu obtriti ex noſtris. Quis tam beata rerum ac verborum copia inſtructus vt cladem eius multiplicem, deuictorum fœdiſſimam fugam,cædem nunc ſingulorum,nunc vniuerſorum meritò deploret? Vidiſſes alios qua breuiſſima patebat via trepidos fugere, alios per præcipitia nunc ſaxis aſpera,nunc obducta ſentibus, loca petere, quæ hoſtibus ignota putarent. Fatigata, ſiti propemodum enecta & ſaucia paſſim corpora iacebant. E proximis verò locis,virorum clamor & fœminarum vlulatus audiebantur. Hac pugna Carolus ipſe qui eo die & ſæpe alias maiore animo quàm conſilio dimicauerat,tribus plagis media iacentium ſtrage confoſſus,interiit pridie Epiphaniæ. Hic finis fuit principis omnium qui ea tempeſtate fuerunt bellicoſiſſimi. Annus ille , quo dux tam nobilis ante Nantium cæſus eſt, fuit humanæ ſalutis M. CCCC. LXXVI. ita colligit Sabellicus. Alij duos adiiciunt, rurſus alij quinque ſubtrahunt annos. Varietatem hanc demiror in re adhuc recenti, cum Sabellico vulgus conſentit, conſentiunt natu grandes, quorum memoria res accidit.

De Caroli

De Caroli sepultura, & sermone qui de eo iam mortuo fuerit.

AB illa pugna exacto iam triduo, Caroli corpus certissimis signis agnitum sepelitur Nantij in æde S. Georgij. Quum sepeliretur intuentibus qui ex clade illa supererant, abortæ lacrymæ, non erant enim ignari qualem patria ducem amisisset. Obuersabatur oculis multa viri virtus, hærebat fixus in pectoribus adstantium vultus militem in prælium educentis. Occurrebat quo animo vrbes oppugnare, muros conscendere, hostem loco summouere consueuisset. Cæterùm proximo septennio quod est viri cædem insequutum, omnibus locis multus & varius de illo iactatus est sermo, affirmantibus quibusdam viuere eum Bruxellæ opidulo Sueuiæ. Aliis contradicentibus, non interemptum ante Nantium, sed captum & abductum in Gallias, ibi in conspectu Regis Ludouici gladio admotum periisse. Spes de Caroli vita quæ postea vanissima comperta est, in causa fuit vt paucissimis locis celebratæ sint eius exequiæ.

De tristitia & lætitia in morte eius.

MORTE Principis huius, plurimi tristati, quidam lætati sunt. Oderant ij impendio pugnacem. Oderant ob assidua bella pecuniæ exactorem. Defuncto tamen eo, in Brabantia & Flandria exorti & sequuti maiores motus fecere, vt reuiuiscere Carolum omnes cupierint. Adeò stolidum vulgus nonnihil mutatis rebus ea probat, quæ antea damnauit.

De filia & eius vxore.

FILIAM reliquit hæredem Mariam, excellenti forma virginem. Quæ illi ex Ysabella, coniuge secunda (tres enim duxerát) suscepta, nupsit postea Maximiliano, Frederici Imperatoris

peratoris

peratoris filio. Vltima eius vxor Margareta defuncto marito, pluribus annis superuixit. Certè multorum bono, suis enim facultatibus interim præclara fouit ingenia, studuitque modis omnibus partim culpa temporum, partim principum negligentia ac vitio iacentes literas præcipuè sacras excitare. Nulli vnquam attribuit sacerdotium, nisi prius & eruditionem, & vitam inspexisset. Quod vtinam & hodie facerent principes, non tam multos passim videremus idiotas in ecclesia Dei, quos fortasse præstaret d fricandis principum matulis, quàm hominum conscientiis præesse. Mechliniæ sepulta est hæc nobilissima fœmina, in cœnobio Minoritanorum. Ex qua Carolus nihil liberorum tulit. Vnde miror, quidnam Raphaeli Volaterrano in menten venire potuerit, vt referret in literas Mariam (de qua diximus) huius filiam Margaretæ fuisse. Non debuit, meo iudicio, vir tantus, & is Italus, in rebus nostratibus conscribendis, potius hominum sermonibus, quàm libris credere.

De præliorum assumptione.

HACTENVS de gestis Caroli ducis. Nunc summatim exponam quæ de ingenio & moribus eius habeo comperta. Prœlia multa sic assumpsit, vt militem sæpius nihil tale cogitantem, iusserit acceptis armis in hostem ire, pluuio interdum cœlo, & grauissimis tempestatibus, quum minimè educturus putaretur. Et, quod mirum videri potest, nec prouectior quidem ad conserendas cum hoste manus cunctatior factus, quo sæpius victor abiisset, hoc magis incertum pugnæ euentum experiundum opinabatur. Nullo vnquam prœlio vicit, quo non statim sit fugientem hostem insequutus: Adeò nihil spatij datum ab eo perterritis.

De probitate & disciplina eius in milites.

INTER milites suos, neque morum, neque fortunarum, sed virium respectu alium alij præferebat, & erat in his tra-

ctandis

ctandis nunc ſeuerus,nunc facilis. Haud enim omni loco ac tempore, ſed quum non procul abeſſet hoſtis, coercere eos & comprimere ſolebat. Ita factum,vt nunciato in prœlium exeundi tempore ſemper eos & paratos & intentos haberet.

De coertione militum eius, & amore in eoſdem.

DESERTOREM ac furacem militem acerrimè puniebat, cætera plerumque diſſimulans. Quendam patibulo ſuffixit,qui aniculæ gallinam ſubtraxerat. Amabat etiam ſuos vſqueadeo, vt nullo non beneuolentiæ officio proſequeretur. Aduerſa valetudine laborantes,& ſaucios medicis committebat fideliſſimis.

Quomodo non ſit paſſus militem luxuria diffluere.

IN hoc Cæſarem illum dictatorem aut Africanum Scipionem, aut Metellum præclarum ducem referebat,quòd in ſuo exercitu nihil eorum paſſus eſt eſſe, quibus corrupti & effœminati militum animi à ſtudio rei militaris auerterentur. Aberant enim adipata obſonia & bellaria. Exulabat commeſſatio. Exulabant reliqua omnia ad luxuriam pertinentia. Vulgari cibo contenti,procul à fame ſeruabantur,adque obeunda militaria officia hoc pacto expeditiores ibant.

Quantus fuerit æmulus Alexandri Magni.

CAROLVS rebus gerendis natus, iam inde ab obitu patris ſui Philippi,tantum ſe præbuit Alexandri Magni æmulum,vt penè ille ipſe ſit factus. Nihil audire libentius, nihil maiore animi voluptate ſolebat legere,quàm authores qui de Alexandro quippiam ſcripſiſſent. Vnde factum eſt, vt omnia illius egregia & laudabilia facinora,memoriæ mandauerit,oblataq. occaſione,nunquam non ſtuduerit imitari.

De consilio eius praeferoci.

VNVM erat in quo merito culpari potuit, præcipitatum consilium. Nam & bella quædam suscepit, nullo prudentium, quos secum habebat, in consilium adhibito.

De celeritate eius in faciendo itinere, & patientia in labore.

HVNC tam præcipiti, ac præferoci consilio virum, in castris Hannibalem, in conficiendis itineribus Iulium, aut Alexandrum quendam dixisses. Algoris enim, & solis iuxtà patiens fuit. Tot illi frigidæ hyemes, ac torridæ sub pellibus actæ æstates. Itinera verò tanta celeritate confecit, vt sæpius de suo aduentu præmissos nuncios anteuerterit, sæpius hostem de improuiso oppresserit.

De odio eius in ebrios.

HOMINIS ebrij occursu adeò solebat offendi, vt nunquam non auerterit vultum: plerunque etiam omnia mala imprecaretur illis, qui per crapulam & animi & corporis vires omnes extinguerent.

De statura eius.

STATVRA fuit (vt accepi) propemodum iusta, nigra illi facies, barba latissima, teretes atque subtiles manus.

Quomodo eum à venatione defessum exceperit anicula quædam in Hollandia.

CONTIGIT in Hollandia, vt quodam die præter morem sereno Carolum manè in venationem profectum hora circiter octaua, ex equitandi labore inuaserit edendi ac bibendi cupiditas, idque quum Henrico Naelduiceno Borealis Hollandiæ (vt vocant) Marescalco quem secum habebat, indicasset, monstrauit Naelduicenus villulam quandam haud longè dissitam, quò ipse solitus erat ientandi causa sese recipere. Huc igitur ingressi, primùm anui hospitæ ex more hominum salutem precantur; deinde Carolus fame

prope-

propemodum enectus, quum arreptam quæ in promptu erat pernam porcinam diſcindere vellet, anus materfamilias: Quæ (inquit) mi homo, impudentia eſt iſtæc tua, vt prior ſcindas præſente domino meo? loquebatur enim de Dynaſta ſuo Naelduiceno, quem ad ſe diuertere conſuetum, putabat aut omnium maximum, aut ſolum eſſe in orbe Principem. Carolus hîc animaduerſa ſimplici mulieris fidelitate, ſubriſit; Naelduicenus verò vt rem patefaceret, Quieſce (inquit) muliercula, ac ſine hunc priorem ſcindere, qui & tuus & meus eſt Princeps Carolus Burgundiæ Dux Illuſtriſſimus. Quibus verbis icta pauefactaque mulier: Mi Princeps multò illuſtriſſime (inquit) ſupplex oro vt mihi condones hanc noxam, quòd rudis mulier tuam Celſitudinem incauto verbo læſerim. Cui Carolus; Bono (inquit) ſis animo femina, tantum abeſt vt me offenderis, vt perſpecta nunc tua in dominum veſtrum fide ſingulari, longè ſis mihi cariſſima, cui etiam velim & in animo habeam benefacere, ſi quando poſthac rediero.

AVCTOR.

HÆC *de rebus geſtis clariſſimi Ducis per omnia ſemper docendi occupationum interualla, rerum ſtudioſis collegi. Cætera, iuuante Chriſto, dicentur in magno opere, quod paramus de tota vita huius Principis. Intereà ſpero candidus lector hunc velut guſtum futuri operis non aſpernabitur.*

Tetraſtichon Auctoris ad Lectorem
de Carolo Burgundo.

Inſtruit hîc acies, pugnat, premit & fugat hoſtem,
Diripit armata hîc oppida capta manu.
Hîc magnum intrepidus oppugnat Carolus orbem.
Ergo age dic Lector: Viuit, an oppetiit?

FINIS.

Obitus. A°. Dñi.	*Anni imperij.*	Nomina.	Coniuges.	Sepulchra.
903. Pridie Nonas Octob.	40.	Didericus *Aquitaniæ.*	Gena, *Puppini minoris, regis Italiæ.*	*Egmundæ.*
988. Pridie Nonas Maij.	85.	Didericus *secũdus Hollandiæ, filius 1[i].*	Hyla, *Ludouici Regis Franciæ.*	*Egmundæ.*
993. 16 Calend. Octob.	5.	Arnoldus *Hollandiæ primus, filius Did. 2[i].*	Lutcharis, *Theophanis Imperat. Byzantiæ.*	*Egmundæ.*
1039.	46.	Theodoricus *Tertius, Arnold. filius.*	VVithildis, *Ottonis Saxon. secundi eius nominis Imperat.*	*Egmundæ.*
1048. Ipsis Idibus Maij.	9.	Theodoricus *Quartus, tertij filius.*	Cælibem *duxit vitam.*	*Egmundæ.*
1061. 14. Calend. Iulias.	13.	Florentius *Primus, tertij fil.*	Gertrudis, *Heimi ducis* x. *Saxoniæ.*	*Egmundæ.*
1063. Nupsit Roberto.	1. *Vidua*	Gertrudis *Saxoniæ.*	Florentius *primus, &* Robertus, *cognomento Friso.*	*Egmundæ.*
Pulsus ditione anno 1071.	8.	Robertus *Friso.*	Gertrudis, *Heimi* x.	*Cassale.*
1075. Quinto Cal. Martij.	4.	Gothiphrædus, *cognomento Gibbus.*		*In Traiecto superiori.*
1092. 15. Calend. Septemb.	17.	Theodoricus *Quintus, Flor. filius.*	VVithildis, *Friderici Saxoniæ Ducis.*	*Egmundæ.*
1123. Pridie Nonas Mart.	31.	Florentius *Secũdus, cognomẽto Pinguis. Quinti filius.*	Petronella, *Theodorici Saxoniæ.*	*Egmundæ.*
1163. Ipsis Nonis Augusti.	40.	Theodoricus *Sextus, cogno. Niger, secundi Florent. filius.*	Sophia, *Ottonis Palatini.*	*Egmundæ.*
1190.	27.	Florẽtius *3. Sexti Theod. filius.*	Ada, *Henrici Regis Scotorum.*	*Antiochiæ.*

Obitus. A°. Dñi.	*Anni Imperij.*	Nomina.	Coniuges.	Sepulchra.
1203.	13.	Theodoricus *Septimus, tertij Flor. filius.*	Aleydis, *Theodorici Cliuiæ.*	*Egmundæ.*
1204.	1.	Ada, *septimi Theod. filia.*	Ludouicus, *Comes Lossensis.*	*Metelloburgi.*
1223.	19.	Guilielmus *primus, Theodor. septimi frater, tertij Flor. fil.*	Aleydis, *Ottonis Gelriæ: &* Maria, *Ethmundi Ducis Lancastri.*	*Rheniburgi.*
1235.	12.	Florentius *Quartus, Guil. filius.*	Machteldis, *Henrici, Ducis Brabantiæ.*	*Rheniburgi.*
1255. Quinto Cal. Februarij.	20.	Guilielmus *secundus, Romanorū Rex, Quarti Flor. filius.*	Elisabeth, *Ducis Brunsuicensis.*	*Middelburgi.*
1296. 5. Callend. Iulij.	41.	Florētius *quintus, secundi Guil. filius.*	Beatrix, *Guidonis Dampetri Com. Fland.*	*Rheniburgi.*
1300. 4. Calend. Nouemb.	4.	Ioannes *primus Hollandiæ, quinti Flo. fil.*	Elisabeth, *Eduardi primi, regis Angliæ.*	*Rheniburgi.*
1305. 2. Idus Septembris.	5.	Ioannes *secundus Hannoniæ, Guilielmi Romanorum Regis ex sorore nepos.*	Philippa, *Comitis Lutxenburgi.*	*Valencenis.*
1337. Septimo Idus Iulij.	32.	Guilielmus *tertius Hannoniæ, cognomento Bonus, secundi Ioan. filius.*	Ioanna, *Caroli Valesij Comitis.*	*Valencenis.*
1346. Octauo Cal. Octob.	9.	Guilielmus *quartus Hannoniæ.*	Ioanna, *Ioannis Brabantiæ.*	*In cænobio Flori-campi, dicto* Oudencl ooster: *inde Valencenis.*

Desiit

Obitus. A°. Dñi.	*Anni Imperij.*	Nomina.	Coniuges.	Sepulchra.
1477. Ipsis Nonis Ianuarij.	10.	Carolus *Bellicosus.*	1. Catherina, *Caroli septimi Regis Galliæ.* 2. Isabella, *Caroli Ducis Borbonij.* 3. Margarita, *Richardi Ducis Eboraci.*	*Nancij.*
1482. Sexto Calen. Aprilis.	5.	Maria *Charlesia.*	Maximilianus *Austrius, Frederici tertij Imperatoris fil.*	*Brugis.*
Resignauit Philippo filio anno 1494.	12.	Maximilianus *Austrius.*	Maria *Charlesia, &* Maria *Blanchia, Ducis Mediolani filia.*	*Neostadi, in Austria.*
1506.	12.	Philippus *Austrius.*	Ioanna *Ferdinandi Regis Hispaniæ.*	*Granatæ, prope Burgos.*
Tradidit Philippo, qui inauguratur anno 1549.	43.	Carolus *Austrius Imperator.*	Isabella, *Emanuelis Regis Portugal.*	*Granatæ.*
		Philippus *Catholicus.*	1. Maria, *Ioannis Regis Portugal.* 2. Maria *Angliæ Regina, Henrici 8.* 3. Isabella, *Henrici 2. Regis Galliæ.* 4. Anna, *Maximilani Imperatoris.*	

HAD. BARLANDI

TRAIECTENSIVM EPISCOPORVM CATALOGVS

ET

EORVM RES GESTÆ.



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex officina Christophori Plantini.

CIↃ. IↃ. LXXXIV.

AMPLISSIMIS VLTRAIECTINÆ DITIONIS ORDINIBVS CHRISTOPHORVS PLANTINVS S. D.

EA mihi mens iam inde ab initio fuit, viri amplissimi, ut rei literariæ potius in commune, quàm priuato quæstui operarum nostrarum industria procederet. Quod institutum mea ex parte studiosè utique ac sedulò custoditum hactenus, nunc ætate demum præcipitata cur mutem, caussam nullus video. Sed verò, in tanta egregiorum ingenij facinorum copia, nullum (meo quidem animo) speciosius, nullum voluptabilius, nullum denique fructuosius, quàm incorrupta rerum antiquitus gestarum monimenta ad posterorum porrò noticiam transmissa, propagata, ac velut per manus tradita: omniúmque sæculorum ac gentium quasi publicis Tabulis per memores Fastos consignata in perpetuum memoria. hac tempestate utique quâ, si aliâs antehac unquam, firmare animum constantibus exemplis haud operæpretium modò, sed verò & necessarium videtur. Itaque & musteam TACITI *Editionem, adnitente doctissimo Belgarum* LIPSIO, *deintegro emoliri ausi sumus: & ne quid porrò, ad* BATAVIÆ *vestræ illustramentum quod faceret, in hoc genere desiderare possetis, post præmissos unà cum* ICONIBVS *suis* HOLLANDIÆ COMITES, *eiusdem quoque Auctoris* (BARLANDI *dico) alterum opusculum quoddam, quo* DIOECESEOS VLTRAIECTINÆ PRISCORVM ANTISTITVM VITÆ, RESQVE *maximè memorabiles continentur, adstruere placuit.*

Nec hoc contenti, succidanea insuper sirempse planè argumenti ELOGIA Á GERARDO NOVIOMAGO *mantissæ vicem subtexuimus. Quæ vobis iure priuo iampridem debita nomini vestro inscribundi bona sanè lubido nobis ac prothymia incessit: cum firma spe, imò certa fiducia fore, vt opellam hanc nostram gratam porrò acceptámque habeatis: vel tantisper saltem, dum digniora etiam ac solidiora* AMPLITVDINI *vestræ gratificari, non studium, aut facultas nobis; verùm tempestiuior paullò opportunitas eueniat. cui quidem me nullo vnquam tempore defuturum, sponsionem in leges vestras vltrò facere sum paratus. Valete &* REIPVB. *& nobis longùm sospites superstitésque.*

HADRIA-

HADRIANI BARLANDI
CATALOGVS EPISCOPORVM TRAIECTENSIVM, ET EORVM RES GESTÆ.

Guilibrordus, dictus Clemens.

GVILIBRORDVS natione Saxo, primus fuit Traiectensium Antistes. qui dignitatem adeptus Clementis nomen assumpsit. Pueritia huic exacta inter viros pietate insignes, quorum assidua consuetudine iuuenis & optimus euasit, & in studiis bonarum artium ita paucis annis profecit, vt æquales suos rerum scientia infinitis partibus anteierit. Posteà sacris initiatus XXX. ætatis anno proficiscitur in Germaniam, vbi sua prædicatione multos mortales ad vnius Dei cultum pertraxit; sed & aliis perlustratis regionibus dogma Christianum longè lateque propagauit. Per hæc atque alia pietatis opera Ecclesiæ Traiectensi præfectus, Christi nomen suorum animis inserendo, longè optimum egit Antistitem. quod hodie est in ea Vrbe D. Martini celebre templum idem consecrauit; potitusque est dignitate annis ferme XL.

Bonifacius.

A CVIVS morte præfuit quidam Bonifacius nomine, vir insigni pietate. Nihil hic quoque prius habuit, quàm exstirpatis erroribus in fide continere populos, qui semel baptismo admoti nomen duci Christo dedissent. Quot annis Traiectensem Ecclesiam rexerit non inuenio. illud con-

ſtat, à Friſiis eum interemptum, quibus per id tempus Chriſtianum nomen inuiſum erat.

Gregorius.

ECCLESIA ſic à Guilibrordo & Bonifacio, viris laudatiſſimis, piè ſanctéq. inſtituta, poſteà Gregorium habuit Antiſtitem, quo adminiſtrante Traiectum ex Anglia venit quidam vir non tantùm doctus, ſed & integer, qui non multò poſt in Canonicorum adſcitus Collegium Gregorio iam per ſenilem ætatem adminiſtrationi minus idoneo ſocius adiungitur, quumq́. vnà menſibus aliquot ſumma concordia præfuiſſent, Adelbrico in Italiam ablegato negotij cauſſa, Gregorius in morbum incidit. Amici, & qui eum ſectari ſolebant, vbi inualeſcere indies malum animaduertiſſent. vbertim flere, quòd optimo ſe patre mox priuatum iri viderent. queri etiam cœperunt, maximo ſuo detrimento à patria longiſſimè abeſſe Adelbricum. itaque Gregorius, vt triſtes ſuos aliqua ex parte conſolaretur; Nihil eſt (inquit) fratres quod vereamini; non enim prius moriar, quàm ille huc redierit ſaluus. Neque defuit vaticinio euentus. nam triduo antequam è viuis excederet Gregorius ex Italia reuerſus Adelbricus in locum defuncti collegæ maximo atque incredibili omnium gaudio ſubrogatur.

Adelbricus.

HVIVS Epiſcopatu inuentum Dauentriæ corpus D. Lebuini, quod aliquantò antè diu multumq́ue quæſitum impij Saxones in nihilum redigere decreuerant. Adelbricus iam Antiſtes non (vt hodie faciunt) equos alebat, neque canes ad venandum, ſed populum docere, orare pro ſalute gregis ſibi commiſſi ſuum eſſe officium exiſtimans, nihil agebat

agebat aliud. In hoc ſtudio quum annos aliquot exegiſſet, vitam cum morte commutauit. Corpus eius Traiecti ſepulchro illatum in æde Saluatori ſacra.

Theodardus.

SVCCESSIT Adelbrico Theodardus natione Friſius. Hic vir optimus idemque longè doctiſſimus nunc alios diuinarum literarum intepretes audiebat, nunc ipſe docens popularium ſuorum animis Chriſtum inſerebat; maximum exiſtimans in ea re ſitum eſſe fructum charitatis. Taceo exantlatos labores: nihil dico de ieiuniis, in quibus tam frequens fuit, vt ſuprà modum affligeret corpus. Quam diu præfuerit, non tradunt Commentarij quos ſequimur. Sepultus & hic eſt in Æde Saluatoris.

Hermacarus.

HERMACARVS, qui Theodardo ſuperiori ſuffectus eſt, vir ſanctiſſimus; nihil ipſe quoque pulchrius duxit, quàm noctu preces ad Deum fundere prò ſalute humani generis, interdiu verò populum hortari ad omnia pietatis officia, vel hoc ſolo nomine digniſſimus, qui quàm diutiſſimè præeſſet. Hunc etiam defunctum Traiectenſes in Saluatoris templo ſepelierunt.

Ritfridus. aliâs Rixfridus.

SEQVITVR Ritfridus patria Friſius, qui Traiectinæ Diœceſi multis à Carolo magno impetratis Priuilegiis tandem ſenio confectus in febrim incidit, quam mors ſequuta eſt. Obitu eius Antiſtitis, qui parem vitæ ſanctimoniam cúm eruditione copularat, ciuitas mærore affecta ad ſaluatoris templum multis eum cúm lacrymis extulit.

Fridericus

Fridericus.

SVBIICITVR in defuncti locum Fridericus claris ortus natalibus in Frisia, qui tamen oblatum sibi Episcopatus honorem diu recusauit, populum adhortans, vt alium quærerent, cui tutiùs res tanta committi posset. rogatu tandem & precibus Imperatoris Ludouici Pij suscepit administrationem ingenti totius gaudio Ciuitatis, cui sanctitas viri pietasque perspecta erat. Compositis igitur initio rebus in Zelandiam profectus assiduis concionibus eius Insulæ gentem ab illicitis coniugiis (quibus tum vacabat) reuocatam ad sanctioris vitæ retraxit institutum. Posteà perlustratis etiam aliis locis, multos sua prædicatione ad Christum conuertit. increpuit & Ludouicum Imperatorem sæpius, quòd ipse quoque in matrimonio illicito consenesceret. atque per hæc inuisus eius vxori, immissis quodam die ab eadem percussoribus, grauiter vulneratur. conuocatis itaque suis primùm iussit eos bono esse animo; non defuturum etiam se defuncto bonum Pastorem. Deinde commendata superis anima exspirauit, magno relicto sui apud omnes desiderio. Corpus eius in Saluatoris Basilica tumulatum est.

Alfricus.

ALFRICVS, Friderici superioris frater, inde fit Episcopus, vir sanctitate illustris. Hoc administrante, fatali lege consumptus Traiecti est Odulphus Confessor, qui Friderici temporibus illuc venerat. Extinctus Alfricus ipse quoque est in æde Saluatoris humatus.

Lutgerus.

LVTGERVS in demortui locum Episcopus declaratur, homo non solùm eruditus, verùm etiam sanctus. Nonnulli

nulli ſcribunt huius temporibus Brixiæ ciuitate Italiæ tribus continuis noctibus ac totidem diebus ſanguinem pluiſſe. Hic Antiſtes quoad Eccleſiæ præfuit continentiæ amicus, ſæpè humi cubare, ſæpè etiam noctes totas orando conſumere ſolebat. Eius corpus multa veneratione ciues templo Saluatoris intulerunt.

Hungerus.

SEQVVTVS Hungerus multa vir ſanctitate, nec minore doctrina. cuius adminiſtratio incidit in ea tempora, quibus eccleſiam Traiectenſem latiſſimè depopulati ſunt Dani: quæ mala variis præmonſtrata ſunt prodigiis, quæ paulò ante id tempus apparuere. Stellæ viſæ ſunt inter ſe concurrere; tempeſtas ventorum exorta, qualis poſt memoriam hominum numquam anteà fuerat audita. flumina omnia adiacentibus campis infuſa cum fœda villarum & animalium ſtrage. Hæc atque alia multa tum accidêre luctuoſa. Hungerus Antiſtes iam grauis annis fato deceſſit.

Odilbaldus.

ODILBALDVS Friſo poſt illum eſt Epiſcopus creatus. Magna huius viri ſanctitas, magnum pietatis ſtudium. quoties ægrotantes pauperes viſitauit, inopiam illorum eleemoſynis ſubleuans. Pupillis quoque & viduis ita affuit, vt numquam non ab iniuria defenſos ære ſuo aleret. Obiit anno ſuæ creationis triceſimo tertio, fuitque duodecimus in ordine Epiſcoporum.

Egilboldus.

HVIC ſuffectus eſt Egilboldus, qui ſolo pietatis ſtudio pecuniam & opes omnes fortiter contempſit. Is menſe ſexto, quàm adminiſtrare cœperat, fatali eſt morte conſumptus.

Radbodus.

IN cuius locum ſurrogatur quidam Radbodus, licet inuitus ac renitens. Hic vir ſanctitate vitæ & doctrina venerabilis conſcripſit opuſculum de Guilibrordo & Bonifacio Diuis. Huius etiam eſt Officium, quo in Horis Canonicis Eccesia Traiectenſis vtitur in Feſto Tranſlationis Martini Turonenſis, glorioſi patroni ſui. Inuenio in Commentariis rerum geſtarum Hollandiæ, Radbodum Antiſtitem ferè toto tempore ſuæ adminiſtrationis Dauentriæ commoratum, propter Danos, qui Traiectum occuparant. Idem Radbodus diuino ſpiritu afflatus prædixiſſe fertur cuidam Baldrico optimæ indolis iuueni, futurum vt exacto triennio ipſe Traiectenſium Pontifex factus Vrbem, quæ Danorum incurſione variis anteà cladibus fuerat afflicta, in priſtinum reduceret ſtatum. quod certè euenit. Nam poſteaquam annis ſeptendecim Radbodus ſediſſet, hoc defuncto, omnibus ſuffragiis Baldricus electus eſt. Radbodi corpus Dauentriæ Clerus magnifico ſepeliuit apparatu, eſtque hic primus omnium Traiectenſis eccleſiæ Antiſtitũ extrà Traiectũ ſepultus.

Baldricus.

BALDRICVS iam Epiſcopatum adeptus, primùm omnium, expulſis Traiecto Danis, afflictam deformatamque ſæuitia hoſtili Vrbem reparauit. Poſteà in Italiam eſt profectus, vnde impetratis nonnullis ab Othone Rege, quæ ad Eccesiæ Traiectenſis ornamentum pertinebant, ſecum aduexit Benigni, Pontiani & Agnetis Martyrum corpora, quæ Traiecti depoſuit in æde D. Martino ſacra. Periit fato VI. Idus Ianuarias, anno ſuæ creationis LIX. Vbi ſit humatus non inuenio.

Volcmarus.

POST Baldricum Volcmarus quidam ſumma vir bonitate præfuit annis XII. & amplius. Vbi ſit funeratus non

eſt prodi-

eſt proditum memoriæ ab his, qui res collegerunt Hollandicas.

Balduinus.

BALDVINVS patria Hollandus inde Antiſtes fuit. ab hoc nihil reperio toto triennio, quo ſedit, geſtum memoria dignum.

Aufridus.

MORTVO Balduino ſubiectus eſt Aufridus illuſtri ortus familia. Hoc Pontifice Otho Imperator multa donauit Eccleſiæ Traiectenſi; & poſt Othonem Henricus non minus exſtitit in eandem Eccleſiam munificus. Aufridus, cùm iam aliquot ſediſſet annis, vtrumque oculum amiſit. Idem non longè ab Amersfordia opido exſtruxit Cœnobium Fratrum D. Benedicti. Obiit anno ſuæ gubernationis XIV.

Adelboldus.

ADELBOLDVS quidam eſt inde creatus Epiſcopus. Ad hunc refertur Templi Traiectenſis inſtauratio, quæ incidit in annum à Natali Chriſti CIↃ.XV. Non multò pòſt viſa eſt crinita ſtella prodigioſa magnitudine, quæ præceſſit bellum atrox, quod poſtea geſtum eſt inter Epiſcopum Adelboldum & Comitem Hollandiæ, in quo bello tam multi vtrimque periere, vt conuulſæ propè ſint vtriuſque vires. Habuit Adelboldi Epiſcopatus quocumque obiit Hollandiæ Principe annos XIIX. Hic Antiſtes in Baſilica D. Martini ſitus eſt. Ab eodem nonnulli putant inſtitutum eſſe Canonicorum Collegium in Trelenſi Eccleſia.

Bernoldus.

DEFVNCTO Adelboldo ſuffectum legimus Bernoldum quendam, virum ſanctitate inſigni, cuius Pontificatu

obiit Theodoricus Comes IV. Hollandiæ, Hierosolymis domum reuersus. Paucis post annis Dordraci intrà muros Coloniensis, & Leodiensis Episcopi, & Theodoricus V. Hollandiæ Comes, infestis signis concurrêre, qua acie quadringenti nobiles cecidisse traduntur. Ad Bernoldum sunt qui referant Institutionem Collegiorum D. Petri & S. Ioannis Baptistæ Dominici Præcursoris. Hic Antistes extrà vrbem Traiectensem moritur, quum annis XX. & amplius præfuisset, estque defuncti corpus Traiecti sepulchro illatum in templo D. Petri Apostolorum principis.

Gulielmus.

IN Bernoldi locum Gulielmus Geldrici sanguinis Episcopatum adipiscitur, vir armis insignis, de cuius tamen rebus gestis nihil inuenire potui apud scriptores. Anno gubernationis XXI. in humanis esse desiit.

Conradus.

GVVIELMO vita functo successit Conradus, gente Sueuus. Ab hoc exstructa Arx in Iselmonda ad Hollandorum vim inhibendam. Idem (vt reperio) instituit Collegium Traiecti Canonicorum Deiparæ Virginis; haud multò pòst interemptus à Frisio homine, cuius sibi, nescio quomodo, inuidiam conflauerat.

Burchardus.

POST huius cædem legitimo suffragio Burchardus quidam electus est. in cuius tempora incidit memorabilis quædam in Turcas expeditio, qua victi Turcæ, & Hierosolyma expugnata. Hic Antistes rebus præfuit annis XIV.

Godeuualdus.

SVCCESSOREM habuit Godeuualdum Frisium. Hic est ille, qui Middelburgi apud Zelandos eiectis Regularibus

Canonicis

Canonicis,qui omnia luxu perdebant, curauit, vt ex monachis S. Michaëlis Antuerpiæ,complures illuc migrarent,ſanctius Deo militaturi. Hoc Cœnobium poſteà ſtudio ac diligentia gubernantium ad maximas opes peruenit. vnde factum exiſtimo, vt noſtris temporibus Abbatis eligendi poteſtate monachis adempta, ſæculares Principes manus iniicere cœperint eorum poſſeſſionibus. Godeuualdus exactis in Pontificatu annis XV. monaſticam vitam amplexus haud multò pòſt ad ſuperos abiit.

Andreas Kuyckenſis.

SEQVITVR hunc Andreas quidam Kuyckenſis Comitis filius, vir pacis & otij ſtudioſiſſimus, qui in Egmondenſi Monaſterio apud Hollandos extinctam pænè pietatem reuocauit. De hoc nihil aliud memorabile proditum literis inuenio. Naturæ conceſſit anno ſuæ creationis X. Traiecti maiorum ſepulchro illatus.

Herbertus.

HVIC ſufficitur Herbertus gente Friſius, cuius temporibus Hollandiæ Princeps Theodoricus Traiectum valida manu obſedit. Itaque Herbertus Antiſtes maximis copiis cinctus,primùm ciues hortatus eſt, vt mœnia vrbis defenderent; ipſe deinde cum vniuerſo clero egreſſus Vrbem, vt Anathematis ſpiculum in Hollandos diſtringeret, eius metu cô Principem adegit, vt ſupplex veniam petierit. Huius nobis belli facta mentio in eo libello, quem nuperrimè rogatu amicorum emiſimus, *de Principum Hollandiæ rebus geſtis, maximè dignis memoratu.* Herbertus fato mortuus eſt, quum annos XII. & menſes IV. Eccleſiæ Traiectenſi præfuiſſet.

Hermannus Hornius.

EST inde diſcordia laboratum Traiecti,ciuibus vehementer auerſantibus eum Antiſtitem, quem nobiles aliquot

ſurrogari in demortui locum percupiebant. Is fuit Hermannus Hornius D.Gereonis Coloniæ Præpoſitus, qui non multo pòſt interuentu Cardinalis cuiuſdam à latere (vt vulgò dicitur) Epiſcopatum eſt adeptus, atque ita reſedit omnis ille motus. Hermanni verò nimis lene ac mite ingenium, plúſne boni, an mali Traiectenſibus attulerit, neſcio. multi enim, quibus contemptui fuit illa viri lenitas, mala multa perpetrarunt. Hermannus quum ſexennium adminiſtraſtaſſet vita defunctus eſt.

Godefridus.

QVVM poſteà rurſus diſcordarent inter ſe Canonici, quorum erat eligere Antiſtitem, inopinato aduentu Friderici I. Imperatoris factum eſt, vt Godefridum quendam maiorem Archidiaconum in defuncti Hermanni locum elegerint. Hoc itaque Godefrido, & Hollandiæ Principe inter ſe acriter contendentibus de Friſiæ imperio, ad eos tumultus ſedandos Fridericus Romanus Princeps in gratiam Godefridi Antiſtitis Hollandiam repetiit. Obiit Godefridus vir ingentis animi Epiſcopatus ſui anno XXII.

Balduinus ſecundus.

BALDVINVS quidam huius nominis II. fit inde Epiſcopus, manſuetudine & caſtitate nulli ſuperiorum Antiſtitum ſecundus. Hic adeptus eam dignitatem, neque ſuis, neque domeſticæ defuit nobilitati. Mortuus eſt anno XVIII. ſuæ gubernationis.

Arnoldus.

HOC defuncto Theodoricus Hollandiæ, & Otho Geldriæ Principes, quiſque cum ingenti armatorum manu Traiectum ingreſſi, omnia ſic turpiſſima largitione interturbarunt, vt Canonicorum pars vna Theodoricum ſuperioris Balduini fratrem, pars altera elegerit Arnoldum quendam

Iſember-

Isembergum. Huic Otho, illi Theodoricus Hollandiæ Comes fauebat. In hoc statu annis aliquot exactis Pont. Max. Arnoldum XXX. Episcopum declarauit. quo paucis pòst diebus Romæ extincto, eiusdem Pontificis decreto, Theodoricus in defuncti locum subiicitur, qui ad gregem sibi commissum ex Vrbe Roma profectus in itinere moritur.

Theodoricus II.

THEODORICVS qui post duos illos, eodem tempore electos, præfuit ab eo secundus, cui ex Episcopis id nōmen primo contigit, adiutus viribus Lotharingiæ Ducis semel cum Hollandorum Principe feliciter dimicauit. Superatis enim Hollandis ipse Princeps captus est, quo posteà dimisso pax sequuta. Hic Antistes annum suæ gubernationis VII. vixdum ingressus, desiit in humanis esse.

Otho.

SEQVVTVS est hunc Theodoricum Otho quidam iuuenis excellenti forma, & ingenio ad res gerendas apposito. qui haud dubiè Traiectensium Diœcesi futurus erat vtilis Princeps, si largior contigisset administratio, nondum enim biennium præfuerat, quum vita decederet.

Otho secundus.

HOC extincto rogatu Hollandiæ Gedriæque Principum electus est Otho filius Comitis Lippensis, qui ad tempus commissa administratione fratri suo Hermanno, Imperatorem Fridericum in longinquas terras proficiscentem est sequutus; vel quòd opera eius consilioque vteretur in rebus gerendis imperator, vel vt ipse diuersis peragratis regionibus ad suos rediret peritior. Itaque non multo post reuersus, conflato ingenti exercitu, bellum gessit cum Principe Geldriæ, qui cum Zelandis facta conspiratione bona Episcopatus temerè

merè adortus fuerat. Legitur eo bello vicisse Otho Antistes, partim cæsis, partim fugatis hostibus. Idem posteà in prœlio occisus est, quum profectus esset in Frisiam ad ciuilem discordiam extinguendam, quæ apud Grueningos orta fuerat. Corpus eius deportatum est Traiectum, atque ibi loci sepultum.

Wilbrandus Badenburgensis.

INTEREMPTI Othonis loco fit inde Episcopus VVilbrandus Badenburgensis, vir magis strenuus quàm doctus. In huius tempora incidit mors clarissimi & Sanctissimi Galliarum Regis Ludouici, qui posteà Diuorum numero adscriptus est. VVilbrandus IIX. annis dignitate potitus è vita migrauit. Corpus eius Traiectenses D. Seruatij templo intulere.

Otho tertius.

AB illius morte Canonicorum suffragiis Episcopatum est adeptus Otho, appellationis huius III. vir illustri ortus familia, qui Traiectensem sedem propter assidua bella, tum crebras inundationes multùm obæratam studio ac industria sua in pristinum statum restituit. Mortuus est quum administrasset annos XVI.

Gosuvinus.

POST hunc electus quidam Gosuvinus oblatam sibi dignitatem vltrò deposuit. A cuius abdicatione Henricus quidam est creatus Antistes. Hic forti pectore & armis cum diuersis Principibus miro vsque successu belligeratus est. Obiit anno XIIX. quàm Reipubl. Traiectensium præfuerat.

Ioannes Nassauius.

IOANNES Nassauius Episcopus inde creatur. Huius temporibus anno salutis humanæ CIↃ. CC. LXXXII. Festo D. Georgij

Georgij magna pars Vrbis Traiectensis deflagrauit. Idem conflatione æris alieni Pontificio decore labefactato, post xx. suæ creationis annum dignitate exuitur.

Ioannes Syrck.

CVI successit Ioannes quidam cognomento Syrck: tenuitque nouem annos Episcopatum Traiectensem. posteà ex auctoritate Pontificis Max. Tullensis ecclesiæ factus Antistes. huius itaque discessu pastore destitutam sedem accepit Gulielmus II.

Gulielmus Bertoldus II.

GVLIELMVS, secundus ab eo Pontifice qui primus ita est appellatus. Hic patria Mechliniensis, primùm omnium statuit, ne quis illegitimus in Collegium Canonicorum adscisceretur; exstantque super ea re Literæ, quæ tamen posteà inualescente indies magis magisque sacra auri fame, antiquatæ sunt. Gulielmus posteà bello, quod gessit cum Hollandiæ Principibus aliquot, ferro transuerberatus in vestigio concidit, postquam annis v. sedisset.

Guido Auennius Leodiensis.

GVIDO Leodiensis Thesaurarius post Gulielmi cædem à parte Canonicorum electus, prò eo adnitentibus magnis principibus, obtinuit Episcopatum. Huius temporibus ordo Templariorum primùm sublatus est, ob nefandam in mares libidinem. Oblatum sibi à Clemente v. Cardinalicium Galerum idem Antistes recusauit, indignum sese tanto honore existimans, quem hodie tam multi etiam ambiunt. Guido subita vi morbi pressus, obiit anno initæ dignitatis XVI.

Fridericus Syrck.

CVIVS morte Fridericus Syrck Epiſcopatum adipiſcitur, qui ob æris alieni magnitudinem ſuis tandem contemptui fuit. In Commentariis,quos ad me dedit Martinus Dorpius, vir Theologica ſapientia clariſſimus, inuenio Friderici huius temporibus, à Ioanne Pont. XXII. inſertum Canoni Miſſæ Thomam Aquinatem Prædicatorij Ordinis virum, qui ingenij ſui monimenta reliquit poſteris multùm profu-ra. Friderici obitus incidit in annum Virginei partus CIↃ. CCC. XXII. quo anno per vniuerſum Traiectenſium agrum mare diruptis aggeribus eſt euagatum, cum multa ſatorum pernicie.

Iacobus Ooſthorn.

IACOBVS Ooſthorn, qui defuncto Friderico præfuit, neque fecit quidquam memorabile, neque annum in gubernatione compleuit.

Ioannes Dieſtenſis.

HVIC ex Ioannis XXII. Pont. Max. decreto ſuffectus eſt Ioannes Dieſtenſis, à quo inſtitutum reperio Collegium Canonicorum Amersfordiæ.

Nicolaus de Caputiis.

POST Ioannis obitum ſummotis duobus aliis, quos diſcordantes inter ſeſe Canonici elegerant, Pont. Max. Benedictus XII. in locum demortui ſuffecit virum inſignem doctrina iuris Nicolaum de Caputiis(ita enim vulgò nominabatur) qui Nicolaus oblatam ſibi dignitatem vt nimis onerosam, intrà annum creationis depoſuit. Idem non multò pòſt Cardinalitio donatus Galero, Peruſiæ Gymnaſio Italiæ Col-

liæ Collegium instituit, vbi perdiscendis bonis artibus idonei iuuenes alerentur, voluitque vt inter cæteros ex Traiectensi Vrbe ad capiendum ingenij cultum missi duo admitterentur. Pulcherrimum certè exemplum, quod vtinam hodie Principes imitarentur, quibus video id multo magis cordi est, vt amplis ac magnificis exstruendis ædibus magnam patrimonij partem insumant.

Joannes Arkel.

SEQVVTVS est Ioannes Arkel (ita inuenio appellatum) qui adhuc iuuenis florenti ætate declaratus Antistes prò magno habuit negotio, ea redimere Ecclesiæ bona, quæ superiores aliquot Episcopi turpi venditione alienauerant. Hic nisi tam grande æs conflasset alienum, haud dubiè clarissimis viris æquari potuit. Nemo superiorum Antistitum hoc vno fuit bellacior, nemo sæpius cum hoste conflixit armatus; in Hollandos, in Frisios, in Geldros toties intentata arma, & semper miro successu. Præfuit rebus Traiectensium annis XXII. posteà factus Leodiorum Episcopus.

Joannes Vernenburgus.

IOANNES Vernenburgus magno omnium bonorum consensu deinde fit Antistes, qui dum quodam tempore, vt in rebus bene pacatis, otio indulget, ab hostibus captus non nisi ingenti promissâ pecunia redimi potuit. Per hæc tempora Traiecti atrocissimè sæuiens pestilentia vastitatem ciuitati attulit insignem, absumptis vndecim millibus hominum. Excessit Vernenburgus Pontifex anno initi honoris VII. non sine veneni suspicione.

Arnoldus Hoorn.

POST hunc Arnoldus Hoornius ex decreto Pont. Max. declaratur Episcopus. nam dissidentibus inter se Cano-

nicis, vocauerat aliquamdiu ſedes. Hic Arnoldus quum Traiecti ſeptennium adminiſtraſſet, Leodienſium Antiſtes electus eſt.

Florentius.

CVI Pont. Max. poſteà ſuffecit Florentium Epiſcopum Monaſterienſem. qui vir nulli ſuperiorum Antiſtitum pietate aut alio virtutis genere ſecundus Traiectenſium Eccleſiæ multum ſplendoris attulit, precandi ardore, vt inſanus à quibuſdam increpitus; Quid (inquit) vobis inſanire videor, ſi quum oues multas habeam, multum orem. Hic Florentius publicè in ordinem redegit ac ſacerdotij inſignibus exuit quendam Iacobum Minoritanæ familiæ Fratrem, qui per aliquot annos Epiſcopatus dignitatem falſò ſibi vſurpauerat, qua quidem ſceleratiſſimi hominis improbitate factum eſt, vt nonnulli qui ab eodem anteà ſacris initiati fuerant, poſtquam deſecratus eſt, vxorem duxerint.

Fridericus Blankenheim.

FLORENTIO die Paraſceues defuncto exactis in adminiſtratione x. annis & menſibus v. ſucceſſit Fridericus Blankenheim. qui vir literatura inſignis toto adminiſtrationis tempore optabili præfuit exemplo; vixit omnibus chariſſimus ob egregia in Remp. merita; geſtiſque bellis aliquot, mortem obiit ſenex, xxx. annis in gubernatione tranſactis. funeratus eſt ſollenni pompa Traiecti in templo D. Martini.

Zwederus Culenburgenſis.

ELEGIT poſteà maior Canonicorum pars Rodolphum filium Comitis à Diepholt, quem tamen Martinus v. Pont. Max. non eſt paſſus adminiſtrare, propterea quòd omnium bonarum artium rudis eſſet, ac idiota propemodum.

Contulit

Contulit igitur Episcopatum Traiectensem Pontifex cuidam Zvvedero Culenburgẽsi, viro & erudito & bono, quem septimo administrationis anno sede Traiectenses deturbant, Rodolphum admittunt. Hunc Zvvederus, quem eiectum Hollandi in suas iam vrbes tuendum receperant, Anathematis telo petiuit, verùm hanc discordiam, quæ per longum tempus durauerat, Philippus Burgundionum Princeps tandem sustulit, præcipiens Hollandiæ ac Zelandiæ populis, qui à Rodolpho desciuerant, vt deinceps hunc Rodolphum solum pro Antistite haberent.

Rodolphus à Diepholt.

Cvivs temporibus Constantinopolis (Byzantium antiquis dicebatur) primùm à Turcis diebus aliquot atrociter oppugnata, deinde capta est, magna rei Christianæ iactura atque ignominia. diem obiit hic Episcopus anno sui Præsulatus XXIII.

Gisbertus Brederodius.

In locum demortui Rodolphi Gisbertus Brederodius vir Illustris omnium consensu Antistes declaratur, qui dumtaxat annum præfuit & menses IV.

Dauid Burgundus.

A Gisberto Dauid Burgundus Episcopatum accepit, qui principio nihil habuit antiquius, quàm labentem Remp. Traiectensium restituere. homo communi vtilitati natus, multa fecit in vita memoratu digna. Mira sunt, quæ de huius Antistis indole fama feruntur, quæ nobis eô veritati propiora videntur, quòd nobilissimo ac clarissimo patre Philippo Principe Burgundionum prognatus est. Administrauit, vt ex quibusdam intellexi, annis XL. & amplius. Humatus Dorestati.

Fridericus Marchio Badensis.

HVIC Dauidi succeſſit Fridericus Badenſis, vir pacis atque otij longè amantiſſimus, qui noſtra memoria Lyræ Brabantiæ opidulo defunctus eſt. Hic Antiſtes quum adhuc in humanis ageret, Epiſcopatus adminiſtrationem ceſſit Philippo Burgundo, fratri Dauidis Epiſcopi, qui inter Fridericum & Giſbertum Brerodenſem exſtitit medius.

Philippus Burgundio.

DE Philippo autem, quum adhuc ſuperſit, nihil dicere conſtitui, quamquam poſt initam dignitatem, multa fecit laudabilia : vnde in certiſſimam ſpem adducor, vt huius ſtudio ac prouidentia viri, collapſæ res Eccleſiæ Traiectenſis breui priſtinam dignitatem recipiant.

HISTO-

HISTORIA ET CATALOGVS EPISCOPORVM TRAIECTINORVM, E GERMANICO LATINVS FACTVS

GERARDO NOVIOMAGO INTERPRETE.

Willibrordus Clemens.

ANNO à natiuitate Saluatoris Domini ac Dei noſtri Ieſu Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, Willibrordus preſbyter ex Britannia clariſſima inſula: quam eo ſæculo, Angli Saxones deuictis Britannis, ſui iuris nominiſque fecerant: ad inferam Germaniam,quæ etiam tum Francia dicebatur,veniens,à Sergio Romano Pontifice, petente piiſſimo Francorum Principe Pippino,Vltraiectinus Archiepiſcopus Romæ natali Diuæ Cæciliæ die ordinatus eſt,accepto Clementis nomine. Hinc ad arcem Orientalium Francorum Vltraiectum rediens,à Pippino illic Epiſcopalis cathedræ locum accepit,& templum non admodum magnum in ſanctæ Crucis honorem ædificauit, in quo etiam primum Chriſtiani lauacri fontem ſacrauit.Poſteà eo loci quo Diui Thomæ Apoſtoli templum à Danis Nortmanniſque euerſum fuerat,non procul ab arce Wiltaburgo(quam Vltraiectum gallicè dictam Beda teſtatur) templum aliud ædificandum curauit, & centum cœnobitas integræ vitæ,vt diuino cultui inſiſterent aſſidui,congregauit, voluitque hoc templum primum & caput ſuæ eſſe diœceſeos. Tandem quum magna vitæ ſanctitate quadraginta annis Vltraiectinæ Eccleſiæ præfuiſſet, vita functus, Diuorum numero adſcriptus eſt.

Bonifacius.

BONIFACIVS poſt Willibrordi Clementis mortem Vltraiectinæ Eccleſiæ curam ſuſcepit, virtutibus clarus,euangelica doctrina inſtructiſſimus. Præfuit annis decem & ſex: qui impiorum Friſiorum gladiis,in opido quod Doccum vulgò dicitur, cum quinquaginta ſociis Chriſtianæ religionis præconibus occiſus, martyrij & nomen & gloriam adeptus eſt.

Gregorius.

GREGORIVS, à Bonifacio ſanctiſſimo Præſule (qui & Maguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus fuerat) Vltraiectino populo in Epiſcopum ordinatus, quæ in opere Euangelico D.Willibrordus & Bonifacius inceperant,impigrè perfecit: & plenus bonis operibus diem extremum clauſit. Vltraiecti in templo quod Ieſu Seruatori ſacrum,eſt ſepultus.

Adelbertus.

ADELBERTVS vitæ morumque integritate clarus, poſt Gregorium Vltraiectinus Epiſcopus non paucis annis fuit: & per temporariam hanc mortem, laudabili fine,immortalem vitam conſecutus eſt.

Theodar-

Theodardus.

THEODARDVS mortuo Adelberto, plaudentibus cunctis Episcopalem cathedram conscendit, & à piorum Episcoporum sanctitate non degenerans, tandem ex hac lacrymarum valle, ad superorum gaudia pius pastor migrauit.

Harmacarius.

HARMACARIVS sextus Vltraiectinorum antistes, vir sanctus, vitæque per omnia laudabilis, postquàm Euangelicæ doctrinæ semina, in agris cordium suorum subditorum diligenter aliquot annis seminasset, Christo animã reddidit.

Rixfridus.

RIXFRIDVS Deo deuotus, summus Christianæ puritatis amator, sacrorum eloquiorum concionator facundissimus, mortuo Harmacario Episcopo Vltraiectini gregis pastor electus est, cui cùm annis non paucis æternæ vitæ pabula administrasset, plenus bonorum operum, mortem immortalite commutauit.

Fridericus.

FRIDERICVS Christianæ religionis pius professor, sanctorumque synodalium decretorum obseruantissimus, Rixfrido in Episcopatu successit. Hic quia Ludouico Augusto, propter Augustam quæ ei sanguine coniunctior erat, quàm vt sanctorum patrum decreta finerent eam esse coniugem, molestior erat: missis duobus sicariis, in templi Iesu Seruatoris crypta, interfectus est: & post non multos dies inter diuos martyres relatus.

Alfridus.

POST gloriosam Friderici mortem, Alfridus vt suo, & fratris sui D. Friderici merito, Traiectinus præsul factus, sanctissimi fratris vestigiis insistens, cùm populum sibi commissum aliquamdiu sollicitè rexisset: defunctus apud fratrem sepelitur in sancti Saluatoris crypta.

Ludgerus.

LVDGERVS inculpatæ vitæ vir, sancto Friderico Martyri, dum viueret admodum familiaris, fratrique eius Alfrido Antistiti non mediocriter dilectus, in Vltraiectinum Episcopum etiam renitens, euectus, Euangelica doctrina & optimo exemplo plebem suam pascens, post multa bona opera mortuus, apud D. Fridericum quem viuens vnicè coluerat, reconditus est.

Hungerus.

HVNGERVS vndecimus à plebe Traiectina Præsul electus, morum probitate omnibus charus, vita coram Deo & hominibus laudabiliter peracta, ad cælestia regna migrauit.

Odilbaldus.

ODILBALDVM Hungerus successorem sortitus est, de quo multa laude digna feruntur. Sed à sæculi sui scriptoribus admodum pauca literis commendata sunt.

AEgilboldus.

AEGILBOLDVS Odilbaldo mortuo, Antistes ordinatus, cum decem mensibus venerabilis pastor Ecclesiæ suæ præfuisset, ad superos migrauit.

Radbodus.

RADBODVS vir nobilis humanarum sacrarumq; literarum non mediocriter peritus, omnium suffragiis Episcopus Traiectinus ordinatur. Mortuus tandem

tandem postquam decem & septem annis Episcopi munere functus esset, sanctorum numero adscriptus, Dauentriam Emporium haut ignobile, corpore suo ibi in D. Lebuini templo recondito, clariorem reddit.

Baldricus.

BALDRICVS ex Cliuorum principibus omnium sæculorum memoria dignissimus, Diuo Radbodo vita functo, fauente acclamanteque vniuersa plebe, pontificiam cathedram optimus præsul conscendit. Is Pontifex piissimus, corpora sanctorum Agnetis virginis & martyris, Pontiani, & Benigni, ex vrbe Roma Traiectum aduexit. Corporaque sanctorum confessorum D. Radbodi Episcopi, & beatissimi Lebuini presbyteri Dauentriæ, beati Werenfridi in superiorum Batauorum pago qui Ellsta vulgò dicitur, S. Plechelmi apud Oldenzalam opidum, Odulphi & Wironis, Otgeri, è sepulchris leuauit, & honorificentioribus locis recondidit. Ciuitatem quoque Traiectinam à Danis Nortmanisque deuastatam ac dirutam, rursus muro circumdedit. Præfuit clarissimus hic Antistes annis quinquaginta nouem, & plenus dierum ex hac mortali vita ad æternam transiit.

Volcmarus.

VOLCMARVS Christianæ pacis amator præcipuus, decimus sextus Vltraiectinorum Episcopus Euangelica prædicatione vitaque insignis, post laudabilem vitam immortalitate donatus est.

Balduinus.

BALDVINVS Volcmaro successit, de quo & iniuria temporum & scriptorum ignauia, nihil præter nomen ex Chronicis Sigeberti legitur.

Ansfridus.

ANSFRIDVS qui cùm fuisset Comes Bratussantium non minus iustitia quàm potentia sæculari famosus, deposito militiæ cingulo, tonsuratus in clericum, eò prouectus est, vt post Balduini mortem pontificatum Vltraiectinæ Ecclesiæ adeptus sit. Primus Ecclesiam suam opibus ornare (an onerare rectius dixerim nescio) cœpit. Nam cùm ante pontificatus suscepti honorem ditissimus nobilissimusque Thrysterbandorum Comes esset, factus Episcopus ditionem suam Ecclesiæ suæ liberalis admodum Princeps contulit. Construxit etiam non procul ab Amersfordia opido cœnobium ordinis D. Benedicti, quod Montem sanctum appellant, & tandem factus monachus ibidem obiit.

Adelboldus.

ADELBOLDVS, scientia literarum insignis, sublato ex hac vita Ansfrido, Episcopus consecratus opulentiorque factus, Dominicum summum (vt vulgò dicimus) templum iamiam collabescens dirui iussit, ac nouum ædificari, ad quod consecrandum Henricus Imperator Augustus, cum duodecim Episcopis venit. Hic magnificus Antistes volente Augusto Henrico, qui tum Traiecti erat, conuocari iussit maiores ditionis suæ Principes: inter quos primi erant Brabantorum Dux, Dapifer (vt dicunt) Vltraiectini Episcopi: Geldriorum Princeps, Venator: Holtlandorum Comes, Magister equitum: Comes Benthemius, Ianitor: Comes Cutrensis, Pincerna: Comes Goranus, ab armis. Tanta tum erat Episcopi Vltraiectini autoritas & potestas. Scripsit hic Antistes vitam Henrici Imperatoris Augusti. Post huius mortem Traiectinorum Præsulum vita admodum mutari cœpit.

Barnulphus.

ADELBOLDO mortuo, ingens de eligendo Episcopo orta est dissensio, ita vt Conrado Augusto, qui his diebus Traiectum aduenerat, electionis ius deferretur. Cumque Augustus solicitè cogitaret, cui nam dignè Ecclesia Vltraiectina iam opibus quoque prædiues, committi posset: quidam honesti nominis Presbyter Barnulphus forte fortuna superuenit, qui Augustam pulcherrimum domi suæ filium peperisse nuntiat. Exhilaratus hoc nuntio Augustus Barnulpho in Euangelium, vitæque probatæ præmium Vltraiectinam commendauit Ecclesiam, quam sumpto Pontificatus honore, vita, sacrisque ædificiis ornare non destitit. Ædificauit Traiecti templa Sanctorum Petri Apostoli, & Ioannis Baptistæ. Ex collegio quoque sancti Saluatoris viros laudabilis vitæ Dauentriam misit ad templum quod D. Lebuino extruxerat, vt in eo die noctuque diuinis vacarent laudibus. Transtulit & monachos Sacri montis Traiectum, eisque templum in D. Pauli honorem ædificauit. Obiit postquam ministrasset gregi suo viginti quinque annis.

Guilielmus.

GVILIELMVS Windekindi Geldriorum Principis filius Barnulpho vita functo, ecclesiæ Traiectinæ præfuit annis ferè viginti duobus.

Conradus.

CONRADVS vicesimus secundus Vltraiectinus Episcopus electus, magno sumptu ædificauit templum Diuæ semper virginis Dei genitricis Mariæ. Interfectus à Latomo quodam Frisio, sepultus est in templo quod extruendum curauerat.

Burchardus.

Burchardus Conrado successit, præfuit Ecclesiæ suæ annis quatuordecim.

Godebaldus.

GODEBALDVS defuncto Burchardo, vnanimi suffragio electus in Antistitem duo cœnobia ordinis Diui Benedicti extruxit: vnum monachorum, in honorem Diui Laurentij martyris, quod vulgò Oestbroeck dicimus, alterum sanctimonialium in honorem semper virginis Dei genitricis Mariæ, quod in hodiernum vsque diem *ad nostram Dominam* dicitur. Hic postquam quindecim annis Episcopus Traiectinus fuisset, vita functus in habitu monachico in Oestbrocka sepultus est.

Andreas.

ANDREAS paternum genus ex nobili Cuickensium Comitum familia ducens, Godebaldi in Pontificatu successor, rexit Ecclesiam suam annis vndecim.

Herbertus.

HERBERTVS post Andream præsul consecratus, nonnihil bellici tumultus ab Holtlandorum principe passus, humilitate & religione magis quàm armis vicit, atque ex hoste pernicioso, fidum amicum fecit. Præfuit annis 12.

Hermannus.

HERMANNVS, postquam Herbertus è viuis discessisset, non sine dissensione in Episcopum electus est. Sub hoc Antistite ciuitas Vltraiectina, ciuilis concordiæ olim obseruantissima, in exitiales diuisa est factiones. Hermannus peractis in Pontificio munere annis paulo minus sex, extremum diem obiit.

Godefridus

Godefridus.

GODEFRIDVS Rhenensis generis nobilitate diuitiisque clarus, Archidiaconus Vltraiectinus, mortuo Hermanno, Episcopus ordinatus, nihil antiquius habuit quàm ditionem suam, quæ tum vicinorum principum armis lacessi cœperat, arcibus munire. Extruxit itaque arces fortissimas quatuor: Vollenhoam, aduersus Frisiorum impetus: Horstam, contra Geldriorum Batauorumque incursus: Montfordiam & Wordam, ad Holtlandos arcendos. Hic tam opulentus & potens Antistes, duodecim annis in Pontificia dignitate peractis, æterna nominis sui monimenta posteris relinquens vitam finiuit, anno Millesimo Centesimo Septuagesimo octauo.

Balduinus.

BALDVINVS Holtlandorum Comitis filius nobilitatem generis virtutibus æquans, defuncto Godefrido, Episcopus electus annis decem & octo præfuit: variis tandem bellorum tumultibus lacessitus è viuis excessit.

Arnoldus. Theodoricus.

BALDVINO mortuo non mediocris super eligendo Episcopo seditio orta est. Holtlandorum enim Princeps Theodoricum Vltraiectinæ Ecclesiæ Archidiaconum nitebatur in Pontificia sede collocare. Contrà Geldriorum Dux & Transisulani Theodorico præferebant Arnoldum Isenburgium virum & genere & moribus clarum. Verùm vt hæc dissensio sopiretur vterque competitorum Romam ad summum Pontificem profectus est, & Arnoldus Isenburgius ab Innocentio vrbis Romæ Episcopo tricesimus Vltraiectinæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur, quo intra paucos dies defuncto, Theodoricus in mortui locum suffectus dum in patriam reditum parat, mortuus. Venetiis sepulturæ traditus est.

Theodoricus.

THEODORICVS Arensis, pacatis duorum Antistitum morte factionibus, concordi omnium voto Traiectinæ Ecclesiæ præficitur; quam annis tredecim laudabiliter rexit.

Otho.

OTHO illustri Geldriorum Principum prosapia genitus, post Theodorici mortem tricesimus tertius Episcopus designatus, gregi suo quatuor annis præfuit, defunctus, & in summo Diui Martini templo sepelitur, anno Millesimo Ducentesimo quinto.

Otho.

OTHO Lippianus Comes, Geldrio Othoni successor fuit. Hic in bello contra Drenthianos, non procul ab arce Couordia, miserè ab indomita gente interfectus est. Præsedit autem in Pontificia cathedra annis viginti.

Willibrandus.

INTERFECTO Lippiano, electus est in Vltraiectinum Præsulem Willibrandus Oldenburgius. Hic sancto Seruatio Vltraiecti templum extruxit, & peractis in Episcopali dignitate annis octo, moritur anno Domini Millesimo Ducentesimo tricesimo tertio.

Otho.

OTHO, Holtlandorum Principis filius, acclamantibus fauentibusque omnibus ad Pontificiam celsitudinem peruenit, in qua cùm annis sedecim vixisset, defunctus, magnum sui desiderium reliquit.

Goſſuinus.

GOSSVINVS Amſtellanus vir diues & nobilis, Othoni ſucceſſit, & intra annum Epiſcopatu ſe abdicauit.

Henricus.

CVM Goſſuinus ſe (vt diximus) abdicaſſet, electus eſt in Epiſcopum Henricus Viandenſis Comitis filius. Is cùm infeſtos haberet heroes aliquot, quorum Princeps erat Dominus (ita dici cœptum) Amſtellanus, aggreſſus eos fortiter, deuicit, ac captiuos Vltraiectum adduxit. Hac victoria ita ditatus eſt Antiſtes, vt pulcherrimi operis arcem, quam pacis nomine Vrelandiam vocant, ædificauerit. Obiit Pontificatus ſui anno viceſimo quinto.

Ioannes.

IOANNES Naſſouius præclariſſima natus familia, in Epiſcopum electus, confirmationem (ita aiunt) à Papa Romano ob literarum imperitiam obtinere non potuit. Præfuit nihilominus inuito Romano Pontifice ditioni Vltraiectinæ annis vno & viginti, quam magno adfecit incommodo. Nam arces aliquot, inter quas Vrelandia erat Henrici Antiſtitis opus vicinis principibus impignorauit. Quare non ſolùm à ſuis, verumetiam à Pontifice Romano electioni cedere vel inuitus cogitur.

Ioannes.

IOANNES Zirichenſis nobili apud Lotharingios familia clarus in Naſſouij locum electus, cum Epiſcopatum Traiectenſem nouem annis gubernaſſet, electus eſt in Epiſcopum Tullenſem.

Guilielmus.

IN Ioannis locum Guilielmus è Machlinienſium heroum ſtemmate natus, ſuffectus. Vltraiecti ab aduerſæ ſibi factionis principibus annum carceri mancipatus, libertati tandem reſtitutus, cùm negligentius in bello quodam ageret, in loco quem vulgus Hoghenuerdam vocat, interfectus eſt. Geſſit autem Epiſcopi & nomen & dignitatem annis quinque.

Guido.

GVIDO Hannonius Guilielmo in Pontificio munere ſuccedens, arces tres, Dullenburgum, Stoutenburgum, Goram ædificauit. Defuncto hoc præſule Holtlandorum princeps, ditionem Amſtellanam, & Wordam arcem numquam interiturum Godefridi Rhenenſis opus, occupauit. Moritur anno Pontificatus ſui decimo ſexto.

Fridericus.

FRIDERICVS Zirichenſis Guidoni ſucceſſit. Is cùm quinque annis Vltraiectinus fuiſſet Epiſcopus, mortuus eſt anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo viceſimo ſecundo. Sub hoc Antiſtite turris illa nominatiſſima Beatiſſimo Martino ſacra, ædificari cœpta eſt.

Iacobus.

IACOBVS ab Oeſthorne, Friderici ſucceſſor in Epiſcopatu fuit, & vix annum, morte præuentus, gregi ſuo præfuit.

Ioannes.

IOANNES Diſtenſis, mortuo Iacobo Pontificium culmen conſcendens, multis damnis ditionem ſuam adfecit. Holtlandorum enim principi Vrelandiam, Geldriorum Duci Vollenhoam & non contemnendam Traiiſulanæ ditionis

partem

partem pignori tradidit. Præpoſuerat etiam ditioni ſuæ ſex Tutores (ita nominabantur) qui priuata commoda publicis præferenteis arces duas Stoutenburgum & Horſtam alieni iuris fecerunt. Obiit ære alieno admodum grauatus, Pontificatus ſui anno decimo octauo.

Nicolaus.

NICOLAVS Caputius, à Papa Romano Antiſtes Vltraiectinus deſignatus, Epiſcopatu volens ceſſit.

Ioannes.

IOANNES ex vetuſtiſſima, longeque clariſſima Herculanorum principum familia genus ducens, cedente Nicolao Caputio Nobili Romano, Pontifex ordinatus, cùm ditionem ſuam in integrum reſtituere conaretur, multa cum vicinis Principibus, ſuæ etiam ditionis aliquot equeſtris ordinis viris, bella varia fortuna geſſit. Ad eumque ſtatum res ſuæ deuenerunt, vt relicta ditione quibuſdam nobilibus viris tuenda: ipſe Romam profectus, paulo plus triennium ibidem moraretur. Inde rediens partim vi, partim æquis conditionibus, arces pignori datas ſibi rurſus ſubiecit. Perduelles aut iuſſa facere, aut ditionem ſuam egredi coëgit. His magno animo peractis electus eſt in Leodienſium Antiſtitem: mortui verò corpus Traiecti in D. Martini templo ſepultum eſt.

Ioannes.

IOANNES Vernenburgenſis, qui Monaſterienſis Epiſcopus fuerat, Eccleſiæ Vltraiectinæ præficitur, qui cùm nullo alieno ære grauatam aſſecutus eſſet ditionem, ab hoſtibus ſuis in Gora opido captus, vix tandem datis ſcutatorum decem & ſex millibus libertati reſtitutus, arces ſuas iam liberas rurſus impignorare coactus eſt. Vixit in Epiſcopatu Vltraiectino annis ſeptem.

Arnoldus.

DEFVNCTO Ioanne Præſule, Arnoldus filius illuſtris Comitis Hornenſis, electus eſt in Antiſtitem, hic adiuuantibus ſuæ ditionis opidis, æs alienum quo Epiſcopatus grauabatur, exoluere cœpit. Et poſtquam ſeptem annis Vltraiectinus Epiſcopus fuiſſet, Leodienſium Pontifex factus eſt.

Florentius.

FLORENTIVS Weuelichouius poſt Hornenſem Vltraiectinus Epiſcopus electus, nonnihil moleſtiæ ab Hornienſi pertulit. Volebat enim Hornenſis vtriuſque Epiſcopatus opes inuadere; ſed id fruſtra attentatum eſt. Florentius enim vir prudens, tam improbis conatibus facilè reſtitit, & ditionem ſuam ſtrenuè quatuordecim annis gubernauit.

Fridericus.

FRIDERICVM nobilem Blanckenhemiorum Comitem Florentius ſucceſſorem habuit. Hic non pauca præclara, memoratuque digna geſſit, quæ in ſuæ ætatis chronicis germanica latinaque lingua memoriæ tradita ſunt. Et quia nos indicem non hiſtoriam ſcribimus, multa conſultò præteriuimus. Epiſcopatus ſui anno triceſimo defunctus Vltraiecti in D. Martini templo ſepultus eſt.

Huc vſque indicem hunc, ex Germanico Latinum fecimus.
Quæ ſequuntur nos bona fide adiecimus.

Rodolphus. Suederus.

FRIDERICO è viuis ſublato, ingens orta eſt diſcordia, duobus potentiſſimis competitoribus, Rodolpho Diepholdio, & Walrauo Morſano,

antiquæ nobilitati Principibus Episcopatum Vltraiectinum ambientibus. Maior Vltraiectinæ ditionis pars, & in his Transisulani, Diepholdio fauebat. Reliqui Morsano adhærebant. Vterque ad Romanum Pontificem, pro confirmatione (ita dicunt) misit. Vtrique negata. Transisulani nihilominus Diepholdium in Principem receperunt. Datus est Episcopatus à Pontifice Romano, Episcopo Spirensi. Is missis à Consiliis Vltraiectum, explorari iussit, an sine bello, sine cæde, recipi possit. A Consiliis Spirensis Antistitis, cùm omnia tumultibus factionibusque plena Traiecti comperissent: Spiram reuersi, quid viderint Episcopo suo nuntiant. Qui desperans se Episcopatum sine cæde & sanguine adipisci posse: literas ad Romanum Pont. Max. dedit orans, vt Suedero Culenburgio Archidiacono Traiectino, notæ apud eos nobilitatis viro, Episcopatum quem ipse assequi non poterat, conferret. Quod Pontifex Max. lubens fecit. Quare Culenburgius à Traiectino populo plausibiliter in Episcopum susceptus, cùm vix annum Traiecti fuisset, ab aduersæ factionis ciuibus Traiectum relinquere cogitur, Diepholdiusque in Antistitem recipitur. Hinc cruenta cœpere inter vtramque factionem bella, rapinæ, incendia, cædes. Interea contra Diepholdianos Pontifex. Max. excommunicationes, fulmina, ac tonitrua sua emisit. Quæ cum viri bellatores & in armis educati non magnifacerent, missus est à Pont. Romano ad Traiectinam Ecclesiam Ioannes Episcopus Matisconensis vir prudens & spectatæ industriæ, vt perniciosissimam hanc dissensionem sopiret. Quod & pro viribus fecit. Excommunicatos enim absoluit. Diepholdio, quia id Reipublicæ expedire viderat, confirmationem impetrauit. Qua accepta Diepholdius ab omni ferè Vltraiectinæ ditionis populo in Antistitem suscipitur, reclamante licet Culenburgio, cum aliquot Canonicis qui ei adhærebant. Culenburgius tandem ad Basiliensem Synodum profectus, nihil contra Diepholdium non agens mortuus est. Canonici verò qui eum sequebantur, Walrauum Morsanum (cuius supra meminimus) in Episcopum elegerunt, qui à Synodi Basiliensis primoribus, confirmationem obtinuit. Verùm ea postea à Pont. Max. cum omnibus huius Synodi actis abrogata est. Tum Diepholdius Princeps verè magnanimus, verè magnificus, arces ditionis suæ collapsas reædificare cœpit, arcemque Lagam munitissimam à fundamentis extruxit. Dorestatum & Abcondam Episcopatui adiecit, & in omnibus ditionis suæ arcibus, æterna magnificentiæ suæ monimenta reliquit. Decessit in arce Vollenhoa, aliquot horis priusquam moreretur, omni suppellectili aurea & argentea, à familia sua spoliatus, & desertus, &c. Pontificatus sui anno vicesimo quarto, Traiecti in D. Martini templo reconditus.

Gisbertus. David.

DIEPHOLDIO defuncto, Gisbertus è Bredenrodanorum heroum clarissimo stemmate ortus, Archidiaconus Vltraiectinus in Præsulem electus est. Id cùm ab aduersæ factionis hominibus, Philippo potentissimo Burgundionum Duci indicatū esset, sagacissimus princeps factiones in Holtlandia nondum abolitas considerans, & Bredenrodanorum factionem potentiamq. suspectam habēs, vt tam suis quàm Traiectinæ factionis consuleret, à Romano Pontifice obtinuit ne Episcopus designatus confirmationem acciperet, & ad Reip. suæ commodum & pacem, Episcopatus Traiectensis, optimo Præsuli Morinēsi D. Dauidi filio suo conferretur. Quem potentissimus Dux vnà cum Carolo filio (qui posteà ob rerum gestarum magnitudinem Magnus Burgundionum Dux nominatus est)

Traiectum

Traiectum introduxit, Brerodanoque sub certis conditionibus cedente, in pontificia sede collocauit. Totamque ditionem, licet non sine armis, intra paucos dies Dauidi filio subiecit. Itaque Episcopus Dauid, ea quæ Diepholdius in arcibus imperfecta reliquerat, perfecit, & multa iis addidit. Dorestati nouam arcem ædificare cœpit: sumptuosissimum Diepholdo monimentum Traiecti extruxit: vir Pontificio munere sine contradictione dignissimus. In pauperes misericors, studiosorum doctorumque virorum Mecœnas liberalissimus, religionis sacrarumque ædium amator præcipuus: quod tot templis collata dona pretiosissima testantur. Hic tamen talis Pontifex (quo nec meliorem quis optare potuisset) à factiosis quibusdam non sine vitæ periculo ignominiosè aliquamdiu captus, libertati tandem per D. Maximilianum Augustum restitutus, iniuriarum immemor, Episcopatum suum pacificè rexit. Mortuus est plenus dierum anno Pontificatus sui tricesimo nono, & in templo Diui Ioannis Baptistæ iuxta Dorestatum sepelitur.

Fridericus.

FRIDERICVS paternam originem, ab illustrissimis Marchionibus Badensibus ducens, maternum verò genus ex Austriis principibus cum tot Augustis coniunctum habens, post optimi Præsulis Dauid mortem, concordibus Traiectinorum Canonicorum suffragiis Episcopus electus, summa omnium exspectatione suscipitur. Hic variis bellorum tumultibus, factionibusque fatigatus, quum viginti duobus annis ditionem suam gubernasset, morbis senioq. confectus, & sibi & Ecclesiæ suæ consulens, Clarissimo principi Philippo à Burgundia Episcopatum cessit. Lyræ Brabantiæ opido, diem extremum clausit, sepultus Badis in patrio sepulchro.

Philippus.

PHILIPPVS à Burgundia, Diui Maximiliani Imperatoris, & Caroli nepotis eius tum Hispaniarum Regis auctoritate adactus potius quàm tale aliquid ambiens, Episcopus & princeps Vltraiectinus honorificè inauguratus est. Nihil ab inito pontificatu antiquius habuit, quàm in omnibus fratrem suum Dauidem imitari, pacificè (quantum per factiosos quosdam licuit) præesse, arces collabascentes restaurare. Huius vitam quia peculiari libello scripsimus, hîc non opus est repetere. Præfuit annis sex, mensibus vndecim, diebus quatuordecim. Obiit Dorestati. Anno M. D. XXIIII. Septima die Aprilis Ætatis Anno LIX.

Henricus.

HENRICVS Philippi Comitis Palatini Electoris, &c. filius magno nobilitatis ac ciuium Vltraiectinorum gaudio, Philippo successit. Verùm quum laceratam à Geldrio ditionem suam æquis & iniquis conditionibus resarcire studeret, parumque promoueret, tandem bello suis succurrere coactus, vbi animaduertit omnia plena factionibus, tumultibus, proditionibus, ditionem suam Carolo Augusto cessit, tranquillitatique tam suæ quàm suorum consulturus in primam Germaniam rediit.

FINIS.